DE

ADAMO BREMENSI GEOGRAPHO

7448-94 — CORBEIL. Imprimerie ÉD. CRÉTÉ.

DE

ADAMO BREMENSI GEOGRAPHO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

AUGUSTINUS BERNARD

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

MDCCCXCV

MAGISTRO SUO A. HIMLY

FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS DECANO

grati animi testimonium dicabat discipulus.

Cujus magistri auspiciis

MEMORIAM LUDOVICI POIREL

huic opusculo meo consociare liceat. Qui eorumdem studiorum sodalis et eorumdem magistrorum alumnus, immatura morte præreptus, me, piis amicorum suffragiis quasi designatum, incœpti operis heredem reliquit.

CONSPECTUS ARGUMENTI

DE

ADAMO BREMENSI GEOGRAPHO

DE CODICUM EDITIONUMQUE FIDE ET HISTORIA

INTRODUCTIO[1]

Adami Bremensis codicibus eruditione præstantes Germani, *Lappenberg* in primis, non sine magna laude multum operæ dederunt. Nobis non de philologia, sed de geographia disputantibus, sat erit si quæ exploraverunt paucis dixerimus[2].

Adami codices sunt : 1) Vindobonensis n° 413, omnium præstantissimus, cujus collationem diligentissimam et descriptionem valde accuratam optimo viro *Pertz* debemus[3]. Cujus apographum exstat codex Vaticanus (n° 2010). 2) Guelferbytanus (codex Gudianus n° 83) qui seculo XV° scriptus est et ad Vindobonensem codicem quam proxime accedit. 3) Codex monasterii Soroensis in Selandia, qui bibliothecæ universitatis Havniensis incendio (anno 1728) interiit; at eumdem *Andreas Vedel* (Velleius) typis expresserat. 4) Codex bibliothecæ Havniensis n° 2296, quo usus est *Langebeck*, et 5) Codex Breitenbergensis, quem edidit *Lindenbruch*, Havniensi simillimus (nec constat quidem distinctos fuisse), a codicibus supra dictis multum discrepant et alteri recensioni, a textu Adami planius primis codicibus distanti, adscribendi videntur. 6) Codex Lugdunensis (M. L. Lat. Voss. Q 123) qui quidem fragmentis tantum constat, verum id habet momenti quod seculo XI° seu XII° ineunte scriptus est, et, Vindobonensi similis, hujus optimam notam comprobat. Qui vero codices n^{is} 7, 8, 9 et 10 ab erudito Lappenberg notantur multo minoris momenti habentur.

Codex Vindobonensis nihil fere continet quod in ceteris non reperia-

1. *Monumenta Germaniæ Historica*, *Scriptores*, t. VII, p. 267-283, et *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, t. VI, p. 768-892.
2. *Archiv*, t. VI, p. 836.
3. *Archiv*, t. III, p. 650-667.

tur; plurima tamen in eo desunt quæ ab Adamo ipso secundis curis, vel ab homine fere coævo inserta videantur. Is autem unus omnium integer ad nos pervenit; ceteros plus minus truncatos habemus. Æquum igitur his et aliis causis videtur illi potissimum inniti ad textum definiendum, ceteris codicibus ad complendum adhibitis. Ita quidem senserunt qui *Monumenta Germaniæ* ediderunt.

Hoc notandum arbitramur, scilicet eorum qui usque ad nos servati sunt codices, nullum XIII° seculo antiquiorem fuisse, præter Lugdunensis fragmenta. Antiquissimi igitur scriptores qui Adamo usi sunt plurimum prodesse possunt, non interpretandi tantum, sed et perficiendi textus gratia; in quorum numero Annalista Saxo, Helmoldus, Snorro Sturleson, Albertus Stadensis [1], in primis citandi.

Præsertim quod ad scholia spectat scriptores illos adire utile est. Quantam fidem scholiis tribuere deceat præcipue perpendere debemus, siquidem plurima notis geographicis distinguuntur, quibus nonnulla vel ipso textu majus habent pretium. In Vindobonensi quidem codice scholia desunt, verum eorum materiam ipsi narrationis contextui permixtam sæpe reperias. Guelferbytanus autem codex ea præbet, item Soroensis. In Lugdunensibus vero fragmentis plurima eorum quæ in Vindobonensi codice desunt legere est, quod quidem iis plurimum confert fidei. Denique scholia præbent ii codices quos in manibus habuerunt *Annalista Saxo* et Helmoldus. Neque dubium est quin eorum plurima scripserit ipse Adamus, cum quædam nulli alii auctori ipsa forma et ratione tribui possint. Ceterum haud minus constat non omnia Adamo adscribenda esse, quandoquidem nullus codicum omnia continet; imo, nonnulla ab illo neutiquam scribi potuisse pro certo habendum est, ea videlicet quæ Sigiberti Gemblacensis chronica citant. Quoad alia, dubia res est [2].

Adami Bremensis opus XVIII° seculo notum fuit nomine *Historia ecclesiastica*, quod profecto ab auctore ipso eidem non inditum est. Illud *Gesta Hammaburgensis ecclesiæ pontificum* inscribi, quem titulum usurpavit Lappenberg, tradidit nobis Helmoldus [3]. Quarto libro, quem sæpe *De Situ Daniæ* nominant, in optimis codicibus *Descriptio Insularum Aquilonis* titulus est. Opus in IV libros ab Adamo divisum esse satis constat; quis vero in capitula libros diviserit minus patet, neque ea de re consentiunt codices.

1. *Archiv*, t. VI, p. 827-836.
2. *Archiv*, t. VI, p. 870-879.
3. *Chron. Slavic.*, l. I, c. 14.

Operis Adami mere geographicæ partis, nempe libri quarti textum ceteris incorruptiorem atque integriorem censemus. Sane, *Descriptionis insularum* deest finis in codicibus 2) et 4). Sed eam ipsam *Descriptionem* præbet optimus codex Lugdunensis [1], cujus cum Vindobonensi textus convenit. Scholia item quæ ad librum *de Situ Daniæ* attinent, inter se paululum discrepant, et fere omnes in codice Lugdunensi continentur, si pauca excipias manifesto recentiora, videlicet scholion 96 de itinere inter Ripam et Hierosolymam, necnon 145, de scriptoris nostri dialecto [2]. Neque quidem negamus alia Adami loca, a geographia non aliena, exempli gratia quæ ad Slavaniam pertinent, forsan vitiata fuisse. Quin loci cujusdam geographici (II, 19) textus est de quo maxime omnium diuturnæ et pertinacissimæ lites exortæ sunt. Doctus vir *L. Giesebrecht* [3] vitia aut intercalationes hoc loco, sicut et compluribus aliis, necessario inesse existimavit. Quid ea de re sentiendum infra videbimus. Satis sit nobis hic notare, post egregii *Lappenberg* editionem et opera, illas interpretationes minus utilitatis præbere. Haud absque sale quodam observat Giesebrecht, se sibi jus vindicasse quædam explanandi, quamvis « neque codices ante oculos essent, neque editio princeps » et quasdam in textibus translationes fingendi. Non externis tantum, ait ille, sed intus inclusis etiam argumentis vera a falsis in textu discernere et sejungere licet.

Cui quidem contradicere nobis in animo non est, quippe quibus de Adami geographia disserentibus, « codicibus et primaria editione » carere libuerit. Verum ante Giesebrecht rem aggressus erat quam repertus esset codex Vindobonensis et studia sua Lappenberg incepisset. In vitiosissima tantum Fabricii editione Adami scripta legerat. Sane, post *Monumentorum* editionem prioribus stetit judiciis : « Docto Lappenberg, ait, nullæ acceptæ sunt intercalationes, nisi quas codices testantur. Sic XIII[i] seculi, non XI[i], textus ab eo nobis præbetur. »

Sed Giesebrecht modum excedit asserens Adami loca quæ ad historiam spectant paululum translationibus immutari potuisse, cum temporum ordinem servari necesse fuerit, loca vero quæ ad geographiam

1. In codice 2, totum opus in 252 capita numeris continuis distinctum est. Qua distinctione multi ævi nostri scriptores, Adamum citantes aut interpretantes, utuntur. Nec aliter in editione *Migne*.

2. Lappenberg, *Archiv*, t. VI, p. 849.

3. L. Giesebrecht, *Ueber die Nordlandskunde des Adams von Bremen* (in *Histor. u. Literar. Abhandlungen der k. d. Gesellschaft zu Königsberg*, 1834, t, III, p. 157 sqq.), et *Baltische Studien*, t. VI, p. 187.

spectant ejusmodi mutationibus natura multo magis obnoxia fuerint, cum scriptor ignarus nullo modo coercitus fuerit aut repressus[1]. Contraria prorsus sententia optimis argumentis non caret : scriptorum mendis non voluntariis affici possunt textus cum historici, tum geographici ; voluntariis vero potissimum historici, in quibus aut gratiam aut inimicitiam scribentis facilius deprehendas. Adde quod Adami chronologia prorsus incerta quidem et sæpius falsa est ; geographia vero summa, ut illis temporibus, ratione et satis recto ordine procedit. Non temere igitur sentiendum censemus textum, qualem ediderit Lappenberg, talem ab Adamo scriptum fuisse ; ceterum si quædam mutari necesse sit, quæ ad geographiam attinent, perpendi poterit.

Primam Adami nostri editionem e codice Soroensi paravit M. Andreas Severinus Velleius (Vedel), Hafniæ, 1579, in-4° ; huic editioni deest *Descriptio Aquilonis*. Novam quidem paravit Erpoldus *Lindenbruch*, canonicus Hamburgensis, Lugduni Batavorum, 1595, in-4° ; quæ quidem prima librum *de Situ Daniæ* continet. Eamdem repetivit ipse E. Lindenbruch, in libro quem anno 1609 edidit sub titulo : *Scriptores rerum Germanicarum septentrionalium*. Plurima insunt huic libro vitia. Quartam Adami editionem curavit Joannes Maderus (Helmestadii, 1670, in-4°) : quæ editio Lindenbrogianam sequitur, nec paucioribus scatet vitiis. Fabricius, in nova editione Scriptorum rerum Germanicarum septentrionalium, Hamburg, 1706, in-fol°, Maderum secutus est. Libellum *de insulis Aquilonis* separatim edidit Johannes Messenius, Holmiæ, 1615, in-4°, qui iterum prelo subditus est in *Johannis Stephanii Sylloge scriptorum de regno Daniæ*, Lugduni Batav., Elzevir, 1629, in-12.

Quas mendosissimas editiones ea secuta est quam paravit (1846) *Lappenberg* in libro cui titulus : *Monumenta Germaniæ historica, Scriptores*, t. VII, p. 267-293, in-fol°. Hanc inseruit Migne, *Patrologia latina*, t. 146, p. 451-969. Postremo, jam ab anno 1846, *Pertz* Adamum in editione in usum scholarum in-8° transcripserat, cujus operis alteram editionem paravit *G. Waitz*, anno 1876. Haec ut adhibeatur suadebimus et ad eam nos referemus.

Jac. Fred. *Peringskiöld* libellum *de Descriptione Insularum* in linguam suecicam versum edidit, Holmiæ, 1719, eumdemque in linguam Danicam vertit notisque instruxit *Suhm* in opere suo : *Historie af Danmark*, t. IV, p. 490. Gallicam versionem *de Chastelus* quidam, ex

1. *Ueber die Nordlandskunde*, p. 159.

urbe Salmurio oriundus, perfecit ante annum 1776, quo quidem anno Hamburgensi senatui oblata est; in publica Bremensi bibliotheca asservatur. Neque ea, neque germanica versio *Historiæ ecclesiasticæ* a *Lindenbruch* parata, typis mandata est. Majorem partem librorum III et IV in sermonem germanicum vertit *B. de Buchholz.* Totius operis versionem pessimam edidit *C. Misegaes* quidam Bremæ, anno 1825. Denique, *M. Laurent* novam versionem cum præfatione egregii viri Lappenberg dedit in *Geschichtsschreiber der deutschen Vorzeit,* Berol., 1870; alteram editionem recensuit *W. Wattenbach,* Lipsiæ, 1888.

PRÆFATIO

Unicuique quatuor librorum quibus opus Adami constat, satis propria inest materies. In primo libro de conversione populorum ad christianam fidem agitur; describitur Saxonia; conditur Bremensis ecclesia; qui fuerint primi ejusdem episcopi, quæ eorum versus septentrionem peregrinationes exponitur. In secundo libro, non quæ ad religionem tantum, sed quæ ad universam germanicam gentem spectant ab anno 940 ad annum 1040 habentur, Germanorum et Slavorum contentiones, bella in Sueciam, Norvegiam, Daniam, Angliam illata. In tertio libro Adalberti vita narratur. Quartus septentrionalium regionum geographiam tractat[1].

Qui plurimum operæ Adamo dederunt, in primis eruditi viri Giesebrecht et Lappenberg, eum inter optimos illo tempore scriptores, inter fide dignissimos narratores memorant, quippe qui intelligens rerum existimator et a studio partium satis alienus appareat. Cum exempli gratia de bello Kanutum Magnum inter et Olaum sanctum agitur, hæc Sallustii usurpat: « Danis pro imperio certantibus, Nortmannis pro libertate. » Et addit : « In qua re justior mihi visa est causa Olaph, cum bellum necessarium magis fuit quam voluntarium. » Stabat tamen pro Danis Adamus, licet quibusdam de causis Olaph regi magis addictus videri possit (II, 55). —Res minime dubia Adamo reges et principes ideo tantum vincere quod Deo fideliter serviunt et presbyteros tuentur (schol. 57). Multæ calamitates ex sceleribus oriuntur, quibus scelesti homines pœnas pendunt (II, 75). Acutum Adami ingenium tunc potissimum videre est, cum de Iumne disserens, paganos quidem esse incolas asserit, verum, ait, « moribus et hospitalitate nulla gens honestior aut benignior

1. Schumacher, *Bremisches Jahrbuch*, 1864, t. I, p. 159.

potest inveniri » (II, 19). Item, christianum quemdam commemorans qui ad Iumnem confugit, eum « humane, contra spem » exceptum esse observat. Neque diffitetur Slavos fuisse « a christianis judicibus plus justo compressos ». Slavorum sortem dolet, et cum eis stat adversus Saxones, « quorum, inquit, mens pronior ad pensionem vectigalium quam ad conversionem gentilium » (III, 22).

Nec mirum quod prodigiis fidem adhibet et fabulis nimium indulget. Cometis credit infausta nuntiantibus (III, 50); prodigiorum etiam se testem fuisse asserit (III, 63). Forsan idem de eo ac de multis aliis medii ævi scriptoribus jure dicemus, nempe quidquid in eo vitiosum sit, ipsius tempori tribuendum esse, ipsi vero proprio nomine quidquid rectum.

Diversis studiis Adami opus utilitatem afferre potest; et primum ex eo documenta hauriri possunt ad narrandam XI[i] seculi historiam in universum, sive de Germania agatur, sive de Scandinavia, vel de Slavis Baltici maris, aut de Normannorum incursionibus. Historiæ ecclesiasticæ, Bremensi potissimum, quod sibi proposuit *Dehio*[1], *Gesta* accommodari possunt. Demum quod ad geographiam pertinet peculiariter perpendere multum interest : quo quidem uno titulo de Adamo disserere nobis placuit.

Quamvis nemo eorum qui de Adamo scripserunt de ejus geographia omnino silere potuerit, et plurimi ad quasdam ejus operis partes explicandas disseruerint, vix tres exstant qui ad totam quoad res geographicas Adami explanationem attenderint : *Murray* scilicet[2], *Giesebrecht* et *Dietrich*. Sed primi quidem antiquissimæ sunt dissertationes, neque, juxta Lappenberg, nimia eruditione laborant[3]. Docto viro Giesebrecht debemus quod de hoc agendum ostendit, quid Adamo de geographia scribenti veteres scriptores et sua ipsius eruditio contulerint. At dissertatio inscripta[4] *Ueber die Nordlandskunde* prior est editione emendata Adami in *Mo-*

1. Dehio, *Geschichte des Erzbisthums Hamburg-Bremen*, 2 v. 8°, Berlin, 1877.

2. J. Ph. Murray, *De descriptione terrarum septentrionalium dissertationes duæ* (*Novi Commentarii Soc. Reg. Göttingensis*, t. I, 1771).

3. *Archiv*, p. 864.

4. Ludwig Giesebrecht, *Ueber die Nordlandskunde Adams von Bremen* (*Histor. und litterar. Abhandl. der k. deutschen Gesellsch. zu Königsberg*, 1834, t. III, p. 141-191.

numentis; quod postea scripsit Giesebrecht[1] ad Wendorum historiam potissimum attinet; quid multa? nonnulla denuo considerare necesse arbitramur. Dietrich vero nihil aliud fecit, nisi Adami textus geographicas partes, ipso Adami ordine, paucis tantum notis additis, in germanicam linguam vertit[2].

Adami geographicas notiones et opiniones recognoscere volenti, quæ sint eo tempore regionum septentrionalium conditiones, quæ omnium scientiarum progressio percontandum; hoc e fonte multa apud scriptorem derivata: quem haec fugerunt, ab eo falsæ sæpe similitudines, falsæ conjecturæ aut sententiæ ferri possunt. Neque enim de Adamo judicium faciendum ex opinionibus aut mappis nostris censemus, sed potius illius opiniones intelligere, nobis optabile videtur. Cohæret Adami geographica disciplina; cujus partes colligere nobis in animo est.

Verbum *Geographia*, ut notat *Kretschmer*[3], raro ab auctoribus medii ævi usurpatur. Scripta geographica inscribuntur: *De natura rerum*, *de mensura orbis terræ*, *de natura locorum*, etc. Invenitur etiam *Cosmographia*, *Cosmimetria*. Ea pars *Quadrivii* cui nomen erat Geometria[4], et cui in episcopalibus et claustralibus scholis studebant alumni, nihil aliud erat nisi geographia. Discipulis suadet Rabanus Maurus[5] ut *geometriæ* studeant si totum orbem et diversas ejus facies noscere cupiant. Neque facile credas de forma tantum et amplitudine terræ disserere geometria, aut de zonis, de diversis orbis partibus, de præcipuis regionibus, de fluviis et montibus, sed et de terræ incolis, hominibus et nota dignis animalibus. In Fuldensi monasterio scientiis naturalibus, utpote quæ interpretandis sacris libris multum prodessent, operam impendebant, et earum scientiarum cum geographia connexionem jam sentiebat Alcuinus[6].

1. L. Giesebrecht, *Zur Beurtheilung des Adams von Bremen* (*Baltische Studien*, t. VI, 1839). — Id., *Wendische Geschichten aus den Jahren* 780-1182, Berlin, 1843, 3 v. 8°.
2. Dr Dietrich, *Die geographische Anschauungen einiger Chronisten des* XI-XII *Jahrhunderts* (*Zeitschr. f. wissensch. Geogr.*, t. V, 1885).
3. Kretschmer, *Die Physische Erdkunde im christlichen Mittelalter* (*Geogr. Abhandlungen, herausg. von A. Penck*, t. IV, 1, Wien, 1889).
4. Specht, *Geschichte des Unterrichtwesens in Deutschland* (Stuttgart, 1883), p. 143.
5. Raban. Maur., *De cleric. instit.*, III, 23 (ed. Migne, t. 108, p. 401).
6. *Alcuini versus de sanct. Eutoric. eccles.*, vers. 1441-1441 (*M. G. Poet. lat. med. aevi*, I, p. 201).

Adamus in confinio *patristicæ* et *scolasticæ* dictarum ætatum, quoad geographiæ scientiam, esse videtur. Quod tempus non absolute circumscriptum et definitum esse neminem fugit. Quousque sese extendat quæ dicitur patristica ætas non satis constat[1]; quoad Latinos Patres cum Gregorio Magno (+ 604), ut plurimi putant, desinit, quoad Græcos cum Joanne Damasceno (+ 754). Scolastica vero ætas a XII° seculo incipit, quum Aristotelis operibus tanta mentis diligentia studere cœperunt. Juxta Kretschmer, X° et XI° sæculis potissimum paucissimi inveniuntur geographi; quo quidem tempore unum memoratu dignum arbitratur eruditus ille Germanus, scilicet Gerbertum: Adamum, licet longe Gerberto inferiorem, Kretschmer citare poterat. Sane nihil proprium et novum de geographia physica scribit, sed non aliter plerique ab eo citati; et dignior fuit Adamus vel brevi mentione, quam Cosmas Indicopleustes prolixa explanatione.

Quæ de geographia recte aut falso docuit Adamus cum partim iis quibus vixit temporibus, et partim iis e quibus hausit fontibus sint ascribenda, primum expendemus quæ fuerint illa tempora, qui etiam illi scriptis aut verbis traditi fontes. Tum, quia Adamus nonnulla sive de physica, sive de geographia generali scribit, quibus elementis disciplina ejus constet videbimus. Postremo intelligere tentabimus quousque prodeant ejus notitiæ, et quam formam, sive certis edoctus documentis, sive vana illectus fictione, iis quas describit regionibus tribuerit. Denique geographicas ejus notitias sigillatim recensere et enucleare conabimur.

1. Marinelli, *La Geografia e i Padri della Chiesa* (Roma, 1882), p. 4-5. Kretschmer, *Physische Erdkunde im Mittelalter*, p. 16 et p. 25-27.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE ADAMI INGENIO ET TEMPORE.

De Adami Bremensis vita[1] et ingenio perpauca novimus. Ipsum ejus nomen in dubio quidam posuerunt, cum semetipsum una littera initiali A designet; de hoc tamen sufficere videtur Helmoldi testimonium[2]. E Germania superiori, Saxonia scilicet superiori oriundum fuisse, e scriptoris dialecto conjecit auctor scholiæ 145. Quidam existimarunt eum Misniæ natum esse; sed temere, ut nobis videtur. Certe inter eos fuit quos Adalbertus archiepiscopus, ortus domo palatinorum Saxoniæ, e regione natali sua Bremam adduxit, quique non minus ecclesiæ quam litteris profuerunt. Anno 24 archiepiscopatus Adalberti Adamus Bremam venit (Ad., III, 4,53) et inter ecclesiæ cathedralis canonicos receptus est. Quo anno Bremensi ecclesiæ præesse cœperit Adalbertus non liquet[3], verum Adamum illuc non post 1069 advenisse conjici potest ex eo quod, in charta ejusdem anni, eum inter testes post decanos et ante presbyteros collocatum invenimus[4]. Haud multo post, *Svend Estrithson* Danorum regem in insula Selandia, ut videtur, commorantem adiit; a quo benignissime exceptus et plurima de septentrionalium regionum geographia et historia edoctus est. Mortuo

1. Lappenberg, in *Scriptores*, t. V, p. 267 et *Archiv*, t. VI, p. 767.
2. *Chronic. Slav.*, I, 14.
3. Opera consulenda vide apud Dehio, I, p. 176, et *ibid.*, *Kritische Ausführungen*, nº XVIII.
4. *Hamburg. Urkundenb.* Hamburg, 1842, 4º, t. I, nº 101.

Adalberto, *Gesta Hammaburgensis ecclesiæ pontificum* scribere cœpit (II, 24, 26), ut ex epilogi versibus constat, quæ, circa annum 1075, absolvit.

Magistri scholarum munere Bremæ fungebatur Adamus. Quo quidem munere[1] nonnisi doctrinis exculti viri digni habebantur, siquidem eos, juxta concilia, omni scientia et honestate ornari necesse erat. Primum a ceteris canonicis *scholasticum* non discerneres, postea vero magis ac magis crevit ejus auctoritas, quippe qui sæpius ecclesiæ cancellarius, chartarum et librorum custos simul esset. Idem perlatas litteras legebat, capituli nomine rescribebat et tabulas curabat. Quamdiu illo munere functus sit Adamus nos latet : de Bremensibus enim scholasticis nihil novimus ante Vilecinum, Wagriæ mox apostolum, qui hanc dignitatem anno circiter 1125 obtinuit. Item quo anno mortuus sit Adamus nos fugit ; ejus tamen obitus diem (Octobris 12) Bremense diptychum memorat. Silvam quamdam conventui in Ramesloh eum donasse ibique sepultum esse traditum est.

Quid nunc quoad geographiam ex hac vita inferemus? Adamus, ut nobis videtur, haud multum peregrinatus est. Eum versus meridiem Germaniam usque ad Thuringiæ saltus novisse, versus septentrionem Daniam usque ad Sundium fretum ex eo proxime tantum conjici potest quod quædam de his regionibus accurate scribit, ut omittamus quæ alias de ipso accepimus. Ceterum non insolentius se effert, et si aliud quodquam iter habuisset, de hoc negligentius, ut de Seelandica peregrinatione, monuisset. Daniam petiit modo ut disceret, tot et tam multa a docto teste Suein accepturus.

Adamus suapte natura rerum geographicarum studio teneri videtur. Singulari luce cuncta describit, intellectu facilis, in quo tot scriptores præstat, de quibus quo quave nos abducant non facile dixerimus. Si condatur abbatia, qualis sit abbatiæ locus describit (III, 9). In novas regiones abductos, quæ fuerit regio, qui sint incolæ nos monet : « Historiam Hammaburgensis ecclesiæ scripturi, inquit,.... prius de gente Saxonum et natura ejusdem provin-

1. Specht, *Unterrichtwesen*, p. 173 et 342. Cf. Ad. Br., schol. 55, et *Hamburg. Urkundenb.*, n° 101.

tiæ » (I, 1). Tum Saxoniam, Einhardo duce, describit. Item, Transalbingios Saxones memorans, Hammaburgensi ecclesiæ subditos : « Et quoniam occasio se locorum præbuit, utile videtur exponere, quæ gentes trans Albiam Hammaburgensi pertinentes sint dyocesi » (II, 15). Item de Slavania : « Quoniam mentio Slavaniæ incidit, non ab re arbitramur, si de natura et gentibus Slavaniæ aliquid dicemus » (II, 17). Cum Bircam se confert episcopus, aut si de Frisia agatur, statim quid Birca sit, quid Frisia nos docet. Iterum præter hæc fragmenta passim in narratione dispersa (quorum gravissima sunt Saxoniæ descriptio, ineunte I° libro, item Slavaniæ, II° libro), Adami opus subsequitur libellus de geographia regionum septentrionalium quæ ad Bremensem ecclesiam spectant.

Ceterum si vel suo ingenio ad res geographicas Adamus pronior non fuisset, cum sub finem XI[1] seculi ecclesiæ Bremensis historiam scriberet, geographiæ nonnihil impendere cogebatur. Cur ipsa materie ut de geographia scriberet inductus sit ; quomodo eo tempore Bremensis archiepiscopatus et eidem subditæ regiones se haberent; qua ratione rerum vixerit geographicus auctor, quomodo affici potuerit, breviter dicemus. Scriptoris tempori attendentibus, quæ tunc fuerit ætas, qui homines coævi investigabimus[1].

Septentrionalibus populis christianam fidem, Carolo Magno regnante, invectam esse, Hammaburgensem vero ecclesiam sub Ludovico Pio (anno 831 ?) conditam fuisse constat. Diruto a Normannis Hammaburgo (845 ?), ejus ecclesia cum Bremensi conjuncta est (847). Nicolaus pontifex maximus « Bremensem et Hammaburgensem episcopatum copulari sanxit et deinceps pro uno haberi... tam Ansgarium quam successores ejus legatos et vicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentilibus Sueonum. Danorum

1. Vide Ecclesiæ historias, in primis a Germanis auctoribus scriptas : Kurtz, Hauck, Funck, Hase, Alzog, etc., (bibliographiam reperias apud Kurtz, *Kirchengeschichte*, I, 2ª pars, p. 34). Consule etiam Dehio, *Geschichte des Erzbistums Hamburg-Bremen*. Quod ad historiam in universo pertinet, vide Weber, *Weltgeschichte*, t. V, et opera ab illo commendata (p. 666). De Dania, lege Allen et Dahlmann ; de Suedia, Geijer ; de Norvegia et Islandia, K. Maurer ; de Normannis, Steenstrup et Worsaæ (in gallicam linguam translatos).

atque Sclavorum » (Ad., I, 29). Ex plurimis chartis (quæ veræne sint an falsæ hic ad rem non pertinet), quas Adamus summa cura enumerat et evolvit, archiepiscopi Bremenses atque Hammaburgensis ecclesia cunctis Septentrionis regionibus summa auctoritate præerant, et in iis Evangelii præcones mittendos curare debebant[1].

Diœcesi Bremensi, cujus terminos accurate definit Adamus[2] non sunt occidentem versus et meridiem suffraganei. Orientem versus Hammaburgensem diœcesim invenimus[3]. Hic Wendicum regnum, a Gotescalco conditum, aliquantisper valde profuit ad Slavos christianis simul ac germanis moribus imbuendos. Verum, post magnam seditionem (anno 1066, quæ quidem tertia negatio Slavorum ab Adamo nominatur), e Slavicis circa Balticum mare regionibus per centum annos christiana religio evanuit.

At, versus septentrionem, ecclesiæ metropolitanæ Bremensis jurisdictio absque ullis terminis patet. E Scandinavia stirpe generati populi ut plurimum Slavis dociliores sese præbuerunt. Totius Daniæ conversionem absolvit Suein seu *Swend Estrithson* (1042-1076), princeps ecclesiasticis moribus imbutus, bellorum nullo modo cupidus; qui quidem, Haraldo Hardrado, Norvegiæ regi, « Septentrionis fulgori » semper terga vertere solitus, populis trans Albiam flumen degentibus niti potissimum cogebatur[4]. Neque vero tam facili tantoque successu Sueciam et Norvegiam occupavit christiana fides[5]. Regnante Stenkillo, idolorum cultus in Suecia superiori pedem retulit: quin de Finnis populis ad Christum adducendis

1. Omnia quæ ad initia historiæ ecclesiasticæ Bremensis spectant multis controversiis implicata potius quam dilucidata : annorum et chartarum auctoritas in incerto est.

2. In Bremensi diœcesi inest utraque inferioris Wisaræ ripa, et, occidentem versus, pars regionis « Oldenbourg », dictæ et Frisia orientalis. V. *Hamburg. Urkundenb.*, t. I, n° 2, et mappam Hammaburgensis archiepiscopatus additam. V. etiam Hodenberg, *Die Diöcese Bremen*, Celle, 1858. Böttger, *Diöcesan und Gaugrenzen*, Hannover, 1874, t. II, p. 126-201. Dehio, t. I, *Kritische Ausführungen*, n°s 1 et 2. — Cf. Sprüner, tabula n° 33.

3. « Hæc (Ad., II, 15) clauditur oceano Britannico, Albia flumine, Egdore fluvio, qui Danos dirimit a Saxonibus, Pene fluvio. » Ultra Penem fluvium (Ad., II, 13, 14) incipit Magdeburgensis archiepiscopatus, vera Savorum metropolis.

4. Allen, *Histoire de Danemark* (gallica translatio), I, p. 56. Dahlmann, *Geschichte von Danemark*, I, p. 174.

5. Kurtz, *Kirchengeschichte*, I, 2ª pars, p. 91. K. Maurer, *Die Bekehrung des norwegischen Stammes zum Christenthum*, 2 v. in-8°. Id., *Island*, p. 84. Dehio, I, p. 175 sqq.

Bremensis archiepiscopus cogitavit. Sed eo ipso tempore quo Slavi rebellabant, denuo exorta est gentilitas in Suecia superiore, quæ tunc a Gothia in christianis partibus stante secessit.

Norvegia, licet Olaf regnante ad christianam fidem conversa, Hammaburgensem auctoritatem mox excutere tentavit, regnante Haraldo, qui anno 1047 Magno Bono successerat. Neque ante mortuum Haraldum, apud quem Byzantina auctoritas multum valuerat, quique, si Adamo credamus, vere tyrannus fuit, Drontemnis ecclesiæ melius res se habuerunt.

In remotissimas Norvegiæ colonias, Islandiam scilicet et Gronlandiam, circa annum 1000 christiana fides invecta est. Illas regiones longinquas, quarum in pontificalibus litteris anno 1027 nulla adhuc fit mentio, primum memorat Leonis IX epistola anno 1053. Islandiæ, cui peregrini tantum hucusque fuerant episcopi, nunc suus est et titulo et genere episcopus *Isleif*, anno 1055. Orcades insulæ, etsi a Scotis ad fidem adductæ, Bremensi ecclesiæ adscriptæ sunt (Ad., IV, 8, 34). Ea est « legatio borealium nationum » (III, 17), ea « legatio gentium » (III, 1). Eam possidet Bremensis archiepiscopus « hæreditariam prædicandi legationem in totam septentrionis latitudinem » (Ad., præf. ad Liemarum). Et qualis et quanta ejus potestas indicat Adamus (III, 70): « A papa meruit hoc dignitatis privilegium, ut totum jus suum domnus apostolicus in illum transfunderet successoresque ejus, adeo ut ipse per totum aquilonem in quibus locis oportunum videbatur, sæpe invitis regibus, episcopatus constitueret, ordinaretque episcopos ex capella sua quos vellet electos. »

Illa tamen immensa Ecclesiæ provincia haud multo post Adamum in varias partes mox distrahetur: ab ea primum Dania anno 1103 dissociata; tum Suecia alienata, denique Norvegia. Sed Adamo nostro vivente ac scribente, quamvis anni 1066 vicissitudines christianæ fidei propagandæ jam obsint, quamvis civitas et ecclesia pessimo statu sint, Brema tamen Septentrionis Roma remanet. Audi Adamum de hac « parvula Brema » loquentem, « instar Romæ divulgata, ab omnibus terrarum partibus catervatim petita, maxime a septentrionalibus populis » (III, 70). Cum pontificum Hammaburgensis et Bremensis ecclesiæ gesta, a sede condita

usque ad tempus suum scribere instituisset, Adamo de septentrionalibus regionibus necessario disserendum erat. Caroli Magni seculo, in scenam prodit Germania; undecimo deinde seculo, Scandinaviæ et aquilonis populi sua vice. Bremenses episcopi, item et suffraganei, quodammodo exploratores facti, geographiæ simul ac religionis dominio incrementum afferunt.

Eo tempore Bremam venit Adamus quo Adalbertus [1] archiepiscopus ecclesiam regebat. Quam splendidam personam tam in Germanico imperio quam Bremæ sustinuerit Adalbertus ut omittamus, illud tamen memoria dignum censemus, quod ecclesiæ renovandæ studiosus, scientiarum autem et artium studiosior, undecumque suum in palatium doctissimos et illustrissimos viros adduxit [2]. Natione Itali, Galli, Scoti, Græci, Judæi, arte medici, astrologi, pictores, musici, qui, ut Adalberto gratificarentur, eum Hammaburgensem patriarcham vocabant, id temporis Bremam conveniebant ibique morabantur. Quorum quædam nomina ad nos pervenere : erant enim inter eos Hibernus Joannes, Gallicus Gualdo [3], Trasmundus monachus et pictor [4], italicus musicus Guido [5], Aristo, ut verisimile est, Græcus origine, Adamatus Salernensis medicus (schol. 91), Bovo quidam qui ter Hierosolymam iverat, Babylonem, apud Saracenos, noverat, multas alias regiones perlustraverat : quo familiariter utebatur Adalbertus (Ad., III, 70).

Adde advenas per Bremam iter habentes, Slavos aut Scandienses hospites, peregrinos Compostellam, Romam aut Hierosolymam petentes. Erant tunc in viis quas sequebantur peregrini xenodochia in quibus benigne excipiebantur. Quibus Suein rex in ipsa palatii aula quotidie mensam instrui jusserat [6]. Singulis in ecclesiis talia

1. Fusius hæc tractavit Dehio in libro suo (t. I, p. 175-277) quem de Adalberto in primis consulendum putamus.

2. Dehio, *op. cit.*, p. 202. Cf. K. Maurer, *Islands und Norwegens Verkehr mit dem Süden im IX bis XIII Jahrhundert* (*Zacher's Zeitschr. f. deutsche Philologie*, II, p. 446).

3. *Hamb. Urkundenb.* n° 101.

4. Bruno, *de Bello Saxonico*, I, 1.

5. Quem Guidonem virum « Gui d'Arezzo » fuisse nonnulli false conjecerant (Schumacher, in *Brem. Jahrb.*, I, p. 153). Conf. Ad., II, 66.

6. P. Riant, *Pèlerinages des Scandinaves en Terre Sainte*, Paris, 1865, p. 58.

erant ad usum peregrinorum hospitalia, quibus omni cura prospicere ipse episcopus debebat (I, 32). Finge [1] tot advenas eidem mensæ accumbentes, circum Adalbertum qui facete dicta, ut aiebat, epulis præponens, quid vidissent eos rogabat. Nusquam Europæ id temporis talem et tantum concursum invenias. Ad unum archiepiscopum universi Aquilonis populi conveniebant, aulam episcopalem invisuri, necnon lapidea monumenta, cathedralem ecclesiam, episcopi palatium, capituli domum (III, 70). aut presbyteros qui christianam fidem ad suos inferrent petituri; et universi, vel Islandi et Gronlandi, Bremam affluebant (III, 23 et 70).

Plurima igitur quoad res ecclesiasticas de Brema novimus, quoad maritimas non item. Si erudito viro *Dehio* [2] fidem adhibemus, nisi Adalbertus tanta clade corruisset, quæ causa fuit cur Bremensem portum desererent mercatores (Ad., III, 57), inferioris Germaniæ commercium, quod paulatim usque ad Hansæ ætatem lapsurum erat, jam sicut postea viguisset. Videtur tamen [3] non Bremæ naves conscendisse qui Balticum mare peterent, sed, quantum fas erat, periculosam Kattegati freti navigationem vitantes, e Rheno flumine urbes Iumnem aut Sliaswig per Bremam terra attigisse [4]. Slavi potissimum aut Scandinavii mercaturæ impendebant operam. Urbes Roschald aut Sliaswig, hanc præcipue cujus fama usque ad Arabos a Normannis fuit perlata [5], extremos portus Germani mercatores noverant. Commercio enim et multis aliis præstitit Dania XI° seculo, Bremæ instar, dissimili tamen et quasi completiva ratione, quod quidem a recta Adami explanatione haud alienum videtur.

Daniæ res, Adami tempore, egregie sese habebant. Desierat ætas *Vikingorum* dicta [6], quæ fere octingentesimum inter et millesimum

1. Dehio, p. 202.
2. Dehio, p. 233 sqq.
3. Götz, *Die Verkehrswege im Dienste des Welthandels*, Stuttgart, 1888, p. 543.
4. Jansen, *Poleographie der cimbrischen Halbinsel*, in *Kirchoff's Forschungen*, I. p. 518. De Slavorum navigationibus vide Helmold., II, 13.
5. Mehren, *Connaissances géographiques des peuples islamiques sur le Nord* (*Mém. Soc. Roy. antiq. du Nord*, 1859-60, p. 54).
6. Worsaae, *Colonisation danoise à l'époque des Vikings*, gallice in *Mém. Soc. Antiq. du Nord*, 1878-83, p. 91. Ejusdem, *la Colonisation de la Russie et du Nord Scandinave*, gallice in *Mém. Soc. Antiq. du Nord*, 1872-77, p. 184. Steenstrup, *Études préliminaires pour servir à l'histoire des Normands* (Extr. du *Bull. de la Soc. des*

annum continetur. Aperte declararunt Dani eruditi scriptores neutiquam barbaros Vikingos fuisse, et cultos eorum mores noscenti in promptu est intelligere quomodo, christianam religionem adepti, statim suos inter coævos vicinosque artibus et scientiis populi Aquilonis longe præstiterunt. E tribus Scandinaviæ regnis, Dania aditu facilior, pauciores habens silvas et montes, præcipua apud alios populos valuit auctoritate, et cum reliqua Europa septentrionales gentes societate conjunxit.

Danos potissimum Baltico et Britannico mari XI° seculo commercium fecisse arbitramur [1]. Ad Balticum enim mare per Dnieprum et Volgam, tum per Dunam et Nevam, e Caspio mari et Euxino merces convehebantur : quod quidem probant arabici et byzantini nummi, qui e littore Baltico effodiuntur. Illud autem commercium ad XII^{um} usque seculum Danos habuisse existimat *Worsaae*. Saltem quoad Russiam et Byzantium, res multis documentis comprobatur. Juvantibus Scandiis coloniis quas Vikingi condiderant, in Russiam usque, Novgorod nominatim et Kievam, pervadebant Dani mercatores. Normannos Byzantii ipsa in aula principum, multis donatos privilegiis, invenias. Unde Græcam fidem plurimi referunt, quam ceterum a primo conversionis tempore septentrionalibus populis per *Væringos* illatam fuisse constat [2].

Normanni XI° seculo ubique inveniuntur et ad summum imperii fastigium perveniunt. Nullo non littore consederunt, stupenda celeritate et miro successu diffusi. Neque maritimos Scandiorum

Antiq. de Normandie, Caen et Paris, 1881). Cf. etiam Weinhold, *Altnordisches Leben*, Leipzig, 1856.

1. Worsaae, *La colonisation de la Russie et du Nord scandinave*, p. 184 et 190 sqq. L. Giesebrecht, *Wendische Geschichten*, I, p. 22. Possart, *Die geographische Kenntnisse der alten Bewohner des Nordens*, in *Lüdde's Zeitschr. f. vergl. Erdk.*, 1845, t. IV, p. 169. De commercio inter Arabos et Baltici maris populos vide Rasmussen, *Essai sur le commerce et les relations des Arabes avec la Russie et la Scandinavie durant le moyen âge* (*Journal Asiatique*, t. V et VI, 1824-25). Stüve, *Handelszüge der Araber*, Berlin, 1836. V. Lagus, *De Idrisii notitia terrarum Balticarum* (*Atti del IV Congresso degli Orientalisti*, 1880, p. 395). Babelon, *Commerce des Arabes dans le nord de l'Europe avant les croisades*, Paris, 1882. G. Jacob, *Der nordisch-baltische Handel der Araber*, Leipzig, 1887. Id., *Welche Handelsartikel bezogen die Araber des Mittelalters aus den nordisch-baltischen Ländern*, Berlin, 1891.

2. Snorro Sturleson, *Heimskringla*, ed. Schœning, Hafniæ, 1777-1826, fol° II, p. 297; Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 106.

mores sustulit christiana fides, mutavit tantum et alio vertit. In unoquoque Europæ littore, sive colonias a suis conditas, sive saltem majoribus notas navium stationes reperiunt Vikingorum nepotes. Galliæ provinciam ab eis Normanniam dictam, Angliam, utramque Siciliam armis obtinent; Hierosolymam peregrinantur, proximis majoribus sub cruce expeditionibus præludentes [1]. Totum septentrionem, ab Ouraliis montibus usque ad Americam occupant. Nonnulli Norvegiæ coloniarum incolæ regionem unde originem trahunt quotannis petunt; quotannis etiam plurimi post bella civilia exsules, in Orcades insulas, Islandiam, Gronlandiam vel alio etiam confugiunt. Christianis enim Scandiis XI° seculo, sicut paganis IX° Normannis, nihil mari præstantius : nulla distantior regio, si mari adiri possit, et, ipsorum lingua, vox *heimskr* (umbraticus) pro gravi contumelia accipitur. Una de re cogitant universi, prædo aut viator, mercator aut peregrinus, nempe ut procul fortunæ se committant, de futuris rebus incerti, periculorum impavidi, secuturæ laudis avidissimi. Seculis X° et XI°, juvantibus Normannis, geographicæ investigationes et inventiones fiunt : mirum tamen quam parum ex iis geographica scientia profecerit. Ad meridianas regiones, imo ad mediam Europam earum expeditionum fama non pervenit : Adamus non item, qui, unus, propter locorum propinquitatem, iis optime usus est. Non jam ignoti quidem sunt Normanni in regionibus quibus constiterunt orbis a veteribus cogniti; sed unde veniant, qua patria orti sint, vix pauci noverunt. Contra, in patria eorum terra, apud Adamum nostrum, nobis occurrunt. Germania et Aquilonis regiones sese invicem exploraverunt : primum populi Aquilonis Germaniam tentarunt; seculis IX° et X° de Germania Vikingi plura forsan noverant quam de ipsis Germania; XIII° contra seculo, Hansa juvante, rerum potitur Germania. Desinente XI° seculo, medium tempus intercedit [2]. Adamo de geographia scribenti Brema et Dania multum profuerunt. Nec mirum, ut notat Dehio [3], quod maximus ea ætate geographus Bremæ vixerit; quid de geographia

1. P. Riant, *Expéditions et pèlerinages des Scandinaves en Terre-Sainte*, p. 19-21.
2. L. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 143.
3. Dehio, p. 234-235.

septentrionali cum in aula archiepiscopali tum in Dania cognosceretur et sentiretur ostendit Adami liber. A coævis et antiquis auctoribus, quotcumque possent sibi præbere, documenta repetiit. Quod nobis de fontibus ejus libri scriptis aut ore traditis disserentibus apparebit.

CAPUT II

DE ADAMI FONTIBUS GEOGRAPHICIS ORE TRADITIS ET SCRIPTIS.

Sive Bremæ, sive in Dania, quoslibet dignos fide viros, qui ipsum de regionibus et populis Hammaburgensi ecclesiæ subditis certiorem facere possent interrogavit Adamus; quæ documenta et traditiones magis geographiæ quam historiæ necessario profuerunt. Inter testes a se adhibitos citat Adamus : Danensem episcopum quemdam, cujus nomen omittit (I, 59); nobilem Nordalbingium (III, 21); comites episcopi Adalwardi junioris quos de rebus Sictonæ gestis interrogavit (IV, 29); christianum quemdam qui paganorum sacrificia Upsalæ viderat (IV, 27). Profecto multa didicit ab Adalwardo natu majore, qui Bremæ decanus erat, prius vero Gothorum in Suecia episcopus (Ad., III, 14; IV, 23); item verisimiliter a Guillelmo, Anglico genere, Selandiæ episcopo, qui Kanuti Magni fuerat cancellarius, et quo rex Suein familiariter utebatur : Adalberti vero et regis Suein testimonia ad ejus opus plurimum contulerunt.

Septentrionalibus et occidentalibus regionibus melius indagandis summam operam impendebat Adalbertus. Vix suscepto episcopatu, ad Aquilonis presbyteros et episcopos epistolas miserat commonitorias, in quibus primum insularum Oceani fit mentio (III, 11). Ipse easdem regiones peragrare cupiebat : « Ego, aiebat, quartus evangelista vobis ero » (cæteri tres erant Ansgarius, Rimbertus et Unni, qui soli omnium iter susceperant et longinquas dissitasque regiones ecclesiæ subjectas visitaverant) (III, 70). Episcopum Islandiæ primæ Adalberti litteræ monent archiepiscopum ipsum mox ad Islandos et Gronlandos esse venturum (Ad.,

III, 23, 70; IV, 35); quod tamen consilium non perfecit, de difficultatibus a rege Suein certior factus (III, 70).

Ceterum ingenio acri fuit Adalbertus et summa scientia ornatus. Adamus qui « cum eo vixit, quotidianamque viri conversationem inspexit » (III, 2), multa sane ab eo didicit. Sentit *Lappenberg*[1] Adalberto multo minorem fidem esse adhibendam, quoad res geographicas, quam regi Suein, quod quædam Adamo narraverit, quorum commentitia ratio a Suein regis veritate discrepat : hic vero (de nobilium Frisonum expeditione et de Amazonibus), de longinquis simul et ignotis regionibus agitur, praeterea tres non duo testes interponuntur.

Quod ad regem Suein attinet, summa ore procul dubio tradidit Adamo documenta. Suein enim cunctas Aquilonis regiones peragrarat; in Anglia degerat, ubi Gotescalco filiam suam nuptiis tradiderat. Regis Suein pater, *Ulf Yarl*, gente Suecicus erat, et Suein multos annos (1031-1042) in Suecia vixit ibique bellum egit. Erat, ut illis temporibus, doctissimus vir, res gestas populi sui omnes in memoria tenens, latinæ linguæ non ignarus, et, ut ait Adamus, « scientia litterarum eruditus » (III, 53). Quam « eruditionem » et « litterarum peritiam[2] » laudat Gregorii VII pontificis quædam epistola[3].

Quoties (et sæpissime accedit) vocem *recitare* usurpat Adamus, ut ea indicet quæ a rege Suein accepit, de populi traditionibus et narrationibus *Sagas* dictis agi existimat *L. Giesebrecht*[4]. Asserit contra *Lappenberg*[5] (neque vero probat) Adamum vulgi traditionibus aut cantilenis nullam fidem adhibuisse ad easque non attendisse, quin, eo loco (IV, 16) quo Adamus scribit : « Ipse rex recitavit mihi hanc cantilenam », de hujusmodi documento neutiquam agi. Ad eam rem explanandam cavendum arbitramur : Adamum quidem per se « *Sagas* » non adhibuisse nemo infitiatur : sed ægre credimus eas a regis Suein sermonibus et narrationibus omnino alie-

1. *Archiv*, VI, p. 823.
2. P. Riant, *Pèlerinages des Scandinaves*, p. 126.
3. Jaffé, *Regesta Pontificum romanorum*, I, p. 611.
4. L. Giesebrecht, *Wendische Geschichten*, III, p. 297.
5. *Scriptores*, t. V p. 269.

nas fuisse, qui, ut ait Adamus, « omnes barbarorum gestas res in memoria tenuit ac si scriptæ essent » (II, 41). Liquet ad rem solvendam *Sagas* adhiberi non posse, nisi multa prudentia, quippe quæ XIII° seculo tantum conscriptæ fuerint. Periculosum igitur esset iis historiis temere uti ad Adami geographicum opus interpretandum [1]; qui enim scientiarum historiæ studet, nonnisi tempore certo prolatis testimoniis niti potest.

Propemodum licet dicere libros Adami, quod ad geographiam spectat, inspirante Adalberto, auxiliante Suein, scriptos fuisse. Non enim satis Suein regem laudat qui eum gravissimum Adami testem fuisse asserit. Vere *auxiliatur* ille testis, qui omni fere pagina citatur, et de quo hæc dici possunt: « Magnam hujus libelli materiam ex ejus ore collegi. »

Animo concipere posses Adamum de regionibus Aquilonis propriis duntaxat informationibus et fide dignis testibus, Bremæ et in Dania, in consilium adhibitis scripsisse. Obscure enim et confuse cæteri ante eum cum antiquissimo tempore tum medio ævo de iisdem regionibus locuti erant [2]. Quibus etiam sat commode uti potuisset scriptoribus, eos in manu habere non poterat. Ipse propria experientia non Germaniæ tantum, sed vel Aquilonis cæteris geographis præstabat [3]. Verum si hujusmodi doctrinam adhiberi potuisse existimasses, ætatis illius homines omnino nescires, qui vel a sensu acceptum testimonium antiquorum auctoritati subjiciebant et eruditionem experimento anteponebant.

Persuasum habebat Adamus omnes Septentrionis regiones Romanis notas fuisse, sed aliis nominibus et minus definite. Quo igitur modo quæ collegerat documenta cum veterum auctorum scriptis convenirent quæsivit, quod quidem omnino singularem ejus operi notam incussit. Subridiculum sane simul ac molestum si Adamum videas, peritum tamen et callidum, quam sollicitus, de Scandia scribens, sit de quibusdam Flacci aut Virgilii carminibus, quibus Getæ commemorantur. Non aliam ergo ob causam errat plerumque

1. Steenstrup (gallice), p. 11 sqq.

2. Quid de regionibus Aquilonis noverant antiquitatis et medii ævi scriptores, vide apud Peschel-Rüge, *Geschichte der Erdkunde*, p. 1-8 et p. 81-100. Cf. etiam Weber, *Weltgeschichte*, t. V, p. 668. Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, Berlin, 1870.

3. L. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 145.

geographus noster, nisi quod, sicut omnes ipsius coævi, nimiam fidem antiquis scriptoribus adhibet eosque falso interpretatur.

Plurimi sunt et varii maxime generis e quibus hausit Adamus scripti fontes. Quorum plerique ad nos pervenere, amissis cæteris. Quos studiosissime memorat, cum ut propriam eruditionem ostentet, tum ut res a se scriptas fulciat et confirmet. Perverse tamen sæpius eos citat, deficienti interdum memoriæ nimium confisus. Auctores si adieris, citata loca non semper invenies.

Adami fontes recensuit Lappenberg[1], et, post Asmussen[2], de eis satis perfecte disseruit. Quos in mere historicos, et litterarios seu geographicos distribuit. Cujus partitionis rationem percipies si attenderis Adamum a classicis aut pseudo-classicis quos novit auctoribus litterarias voces quibus ornetur oratio accipere, aut ad scientiam et geographiam spectantes notitias mutuari solere. Verum ejusdem distributionis, utpote non necessariæ, nonnihil a nobis immutari potest, et temporis tantum habita ratione, duplex fontium series institui : prima erit auctorum qui ab Adami tempore ad Caroli Magni ætatem scripserunt; posterior eorum qui IX° seculo priores fuerunt. Illi tantum ecclesiæ Bremensis historiæ prodesse possunt ; quæ autem ante Carolum Magnum et invectam ad Aquilonis populos fidem scripta erant, maxima auctoritate apud Adamum valebant, sive medio ævo, sive antiquissimis temporibus prolata erant. Nos vero, omissis mere historicis fontibus, quæ in utraque serie Adami geographiæ quamdam utilitatem conferre possunt indicare satis habebimus.

E fontibus IX°, X° et XI° seculo scriptis consuluit Adamus[3] chartas in scriniis vel chirographa in archivis ecclesiæ suæ, diplomata et alia documenta de historia juribusque Bremensium episcoporum ; quæ quidem documenta summo studio requirere et scrutari videtur. Ceteros omnes consuluit auctores quos vel transitorie de septentrionalibus terris novit scripsisse. Quod ex exterorum populorum annalibus excerpsit[4] nos docet quid intendat, qua via studeat

1. Lappenberg, *Archiv*, VI, p. 770-827. Id., *editio in usum scholarum*, præfatio, p. II-IV. Vide etiam Giesebrecht, *Wendische Geschichten*, III, p. 316.

2. Asmussen, *Commentatio de fontibus Adami Bremensis*, Kiliæ, 1834.

3. *Archiv*, p. 770 sqq.

4. *Archiv*, p. 777.

procedere, qua valeat quoad Septentrionis historiam auctoritate. Non quod ad suam tantum ecclesiam pertinet, verum etiam ex omnium populorum, vel Francorum et Anglorum, annalibus, e vita presbyterorum ad fidem propagandam missorum, et ex aliis historicis monumentis collegit quidquid ad Danos aut ceteros Normannos spectat, quantum illud Bremensis ecclesiæ gestis melius dignoscendis utile existimat.

Plerique hi auctores pauca illi ad geographiam contulerunt, nec imaginem et opinionem quam de regionibus Aquilonis sibi effinxerat immutaverunt. E vita sanctorum Willibrordi, Liudgerii et Anskarii nonnulla accepit ; neque vero firmis rationibus probari potest eum nescio quod Anskarii itinerarium et diarium novisse[1]. Ab Einhardo potissimum plurimas et maximi momenti, præcipue quoad Saxoniam et Balticum mare, notiones hausit. Cujus auctoris ab Adamo citantur *Vita Karoli* et *Historia*, liber deinde, quem vocat *Einhardi Gesta Saxonum*, qui revera nihil aliud est quam *Translatio S. Alexandri*, a Rudolfo scripta[2] ; denique *Einhardi Annales*, Fuldenses vulgo dicti, qui ex historia quam vocat Francorum usque ad annum 911 perducta ei innotuisse videntur.

Præter coævorum narrationes et Einhardum, classicis romanis auctoribus innixus geographicam disciplinam construxit noster. A scriptoribus IX° seculo antiquioribus[3], multo plura quam credas quoad hoc tempus et hanc Europæ partem tenet documenta. Inter illos auctores, poetas ut Virgilium, Flaccum, Lucanum, nonnunquam insolite appellat. Sallustium vero, ut Widukindus et Lambertus Hersfeldensis, maxime omnium adhibet, cujus sententias et integras notitias propriæ orationi inserit, quem imitari omni opera

1. Quod itinerarium diu Corbeiæ servatum fuisset, XIII° seculo Romæ translatum, et ulterius amissum. Commentitia hæc est fabula Paullino tribuenda, in adulteratis annalibus Corbejensibus, Syntagma, 1698. Cum Adamus sæpe vitæ tribuerit quæ in ea hodie non reperimus, seu deficiente memoria, seu exemplari ejus a nostro discrepante, ita conformari potuit falsa ista opinio, a K. Ritter, *Geschichte der Erdkunde*, p. 154, repercussa.

2. Quomodo in errorem inductus est Adamus ? Forsan, inquit Lappenberg, quia opus illud, a Rudolfo scriptum, a discipulo quodam ejus peractum fuit, nomine Meginhardo aut Meinhardo ; potius quia *Translationis* prologum, de Saxonum moribus et conversione, ex *Vita Karoli* Einhardi excerpsit monachus, nonnullis ex Tacito additis. De Einhardo, vide Ebert, *Littérature du moyen âge*, gallica translatio, t. II, p. 105 et 367.

3. *Archiv*, p. 806 sqq.

studet. Orosio etiam utitur, cujus Chronicorum verba refert, Paulo Diacono et Gregorio Turonensi (forsan ex Epitome Fredegarii). A Macrobio, cujus *Somnium Scipionis* citat, quædam de natura rerum mutuatur. Sed præcipue ex his fontibus seculo IXe prioribus, Beda, Martianus Capella et Solinus sunt qui plurimum Adamo de geographia scribenti profuerunt.

Beda[1] scriptor fuit summæ auctoritatis. Qui, ut ait Günther[2], totius medii ævi quasi præceptor fuit. Cujus Adamus duas commentationes memorat de *Temporum ratione* et *de Natura rerum*. *Historia ecclesiastica* semel tantum et in scholiis citatur. Liber *de Natura rerum* ejusdem tituli commentationem ab Isidoro Hispalensi scriptam, ut patet, imitatur[3]. Isidori et ipsius Adami instar, Beda Martianum et Solinum sæpius adhibet et appellat; ita ut nonnunquam dubites hosne ipsos scriptores an Bedam in manu habuerit noster[4].

Allegoricam Martiani Capellæ fabulam[5] apud medii ævi homines plurimum valuisse, nec minus in litteris quam in scientiis evocatam fuisse neminem præterit. Non juniores quidem alumni, sed jam ætate et doctrina provecti ea utebantur[6]. In libro VI°, cui titulus *Geometria*, elementa geographiæ reperias, quæ medii ævi auctorum nemo non usurpavit. Quod opus Gregorius Turonensis summis extollit laudibus, et omnis scientiæ fontem vocat[7]. Liber *de Nuptiis* seculo XI° in germanicam linguam jam versus est[8].

1. Wattenbach, *Geschichtsquellen*, p. 81. Werner, *Beda der Ehewürdige und seine Zeit*, Wien, 1875, p. 107-121. Herzog, *Real-Encyclopedie der protest. Theologie*, t. I, p. 763. Ebert (gallica translatio), t. I, p. 667.

2. S. Günther, *Gesch. der mathemat. Unterrichts im Mittelalter* (*Monum. Germ. Paedagog.*, t. III, p. 4).

3. In libro *de Natura rerum* continetur, 51 capitulis divisa, parva ex antiquis cosmographia, et pro ætate insigne mathematicæ et physicæ geographiæ compendium.

4. Beda hic citatur secundum editionem Migne, *Patrologia latina*, t. 90.

5. Kretschmer, *Die Physische Erdkunde im christlichen Mittelalter*, p. 12.

6. « C'est une étrange composition que le *de Nuptiis Philologiæ et Mercurii*. L'imagination la plus bizarre s'y allie à l'esprit le plus aride. La disposition du livre montre un rare manque de goût. Les sept Arts se présentent pour le mariage de la Philologie avec Mercure, et l'auteur profite de la circonstance pour parler de chacun d'eux. » (Ebert, gallica translatio, I, p. 513). Cf. Paul Monceaux, *Les Africains*, Paris, 1894, p. 447, sqq.

7. Dahlmann, *Forschungen auf dem Gelvete der Geschichte*, Altona, 1821, I, p. 205-208. Specht, *Geschichte des Unterrichtwesens*, p. 84.

8. Wackernagel, *Altdeutsches Lesebuch*, p. 150, amplos locos reddit germanicæ

Solini vero *Collectanea rerum memorabilium*[1], quæ novo titulo *Polyhistor* V° seculo recognita sunt et retractata, e Plinii geographicis libris fere omnino fuerunt excerpta. E Plinio quidquid mirum, quidquid prodigiosum et incredibile repererat colligens, illud a se fictis narrationibus et mendaciis inserebat Solinus. Quantum illius temporis studiis Solini liber congrueret, probat diffusa in Gallia et Germania ejus codicum « pæne immensa copia[2] ».

Græcæ linguæ ignarum fuisse Adamum patet, quamvis in ejus libro græcæ quædam voces, latina forma, ex ecclesiastico sermone pleræque sumptæ occurrant. Græcorum nullum opus citat. Quorum lingua in Occidente fere ignota fuit, donec XII° seculo (1167) e Constantinopoli ad Lutetiam Guillelmus monachus græcos codices primum attulit. Perierat etiam Ptolemæus; ejus codicem adhuc in manibus Cassiodorus habebat. Cujus nomen tantum Alfredus Magnus novit, non librum, qui non ante XV^{um} seculum in lucem denuo profertur[3].

Ut paucis supra dicta resumamus : quæ per se Adamus cognovit; quas a Suein rege et Adalberto, aut ab Einhardo, Martiano et Solino accepit notitias, iis ad scribendum de rebus geographicis utitur. Cetera parum expediunt. Qui enim documenta colligere potest, et a se collecta intelligit et ordinat, hic demum de rebus geographicis bene scribet. Quod si documenta defuerint, inania sibi effinget geographus, ut Græcis nonnunquam accidit; si autem defuerit scientia, notatu digna inscius præteribit, nec commodi

Martiani Capellæ translationis. Quæ integra typis mandata est apud Graff, Berolini, 1837. Cf. Ozanam, *Etudes germaniques*, II, p. 389. Martianus hic citatur secundum editionem Eyssenhardt, bibliotheca Teubueriana, 1866.

1. Kretschmer, *op. cit.*, p. 12.

2. Mommsen, *Solini collectanea*, Berlin, 1864 (citavit hunc locum Peschel, *Gesch. der Erdkunde*, p. 76). *Polyhistor* nobis citatur secundum editionem Mommsen.

3. « On admet très généralement, inquit doctus vir Hamy, que le livre de Ptolémée, assez répandu chez les Byzantins, connu en Sicile dès l'époque d'Edrisi (1150), n'a cependant exercé aucune influence sur la géographie occidentale avant le commencement du xve siècle, et que, suivant les expressions de Lelewel, « ni possession, ni influence, ni connaissance de l'ouvrage positivement avérée par quelque monument géographique ne se décèlent nulle part, durant l'espace de plusieurs siècles. » (Hamy, *Les Origines de la cartographie de l'Europe septentrionale*, *Bull. Géogr. hist. et descript.*, 1888, p. 350). Quam in sententiam omnino ire dubitat Hamy. Non Ptolemæum profecto, sed pauca quæ ex illius scriptis aut tabulis apud notos sibi auctores innotuerant, ad opus suum adhibuit Adamus (Cf. infra, p. 53).

quidquam ex iis percipiet : quod in vitium medii ævi auctores sæpius incidisse novimus. Num Adamus, sat multis instructus documentis, quæ *novisset* eadem potuerit *intelligere* ; postea, num vere geographicum opus, perfecerit, nunc nobis perpendendum.

PARS SECUNDA

CAPUT PRIMUM

DE TERRÆ FORMA. — DE OCEANO.

Duo apud Adamum loci ad geographiam mathematicam pertinent (IV, 35; IV, 37). Primum quidem quo de dierum et noctium longitudine in insula Thule disserit. Quem locum ex Solino[1] et Beda[2] eisdem verbis excerpsit. Ipse Beda juxta Solinum, et, quod ad Pytheam attinet, juxta Plinium[3] scripserat. Prior item aut Beda aut Solinus erravit quoad dies XXIV horarum sub arctico circulo et dies VI mensium polares. Quod si eo tantum loco ad Thulen insulam pertinente de dierum longitudine scripsisset Adamus noster, facile existimasses eum e Bedæ libris nonnulla sumpsisse quæ aut parum curaret aut forsan minus intelligeret : verum e loco IV-37 percipis eum et rei causas et ipsam rem plane perspexisse, quippe qui suo nomine ibi disserat. Cum a rege Suein tum a plurimis aliis quæ de noctibus in Halagland insula scribit percontatus accepit. Ceterum, eamdem dierum et noctium inæqualitatem in universa Aquilonis regione observari ipsum non latet. « Stupenda res et incognita barbaris » ; Adamo autem nihil ea in re stupendum arbitratur. Insigni concinnitate asserit dierum noctiumque inæqualitatem e terræ rotunditate *necessario* oriri[4]. Quod quidem num primus et proprio labore intellexerit investiganti dubium manet. Rotundum esse ter-

1. Cap. 22 (edº Mommsen, p. 114).
2. Beda, *De temporum ratione*, cap. 31 (edº Migne, p. 434).
3. Plin., *Hist. Nat.*, II, 75. Cf. Gosselin, *Géographie des Grecs analysée*, Paris, 1790, in-4º, p. 48.
4. « Propter rotunditatem orbis terræ *necesse* est, ut solis circuitus accedens alibi diem exhibeat, alibi recedens noctem relinquat » (Ad., IV, 37).

rarum orbem nunquam non medio ævo creditum est. Distinguendæ tamen sunt cum K. Kretschmer [1], qui collecta ea de re loca perpendit, duo in medio ævo ætates : scilicet ad VIIIum usque seculum, terram planam esse vulgo existimatur, vix paucis adversantibus ; ab VIIIo vero seculo terram globo similem esse consentiunt qui nonnulla laude de cosmographia scribunt; pauci tamen supersunt qui alteram opinionem adhuc propugnant.

Nihil dubitat Beda quin rotundus sit terrarum orbis; capitulo 46 ejusdem *de Natura rerum* libri titulum dedit : *Terram globo similem;* ubi diserte asseritur æquora et montes parvas esse inæqualitates, quæ terræ rotunditati non obstant. Hoc idem evolvit XXXII *de temporum ratione* commentationis capitulum, cujus nisi ipsamet fere verba, sane ipsam significationem usurpavit Adamus : « Causa inæqualitatis dierum terræ rotunditas est » ait Beda, et eodem verbo utitur quo noster : « *Necesse* est [2] ».

Neque vero princeps rotundum esse terrarum orbem existimavit ea ætate Adamus, neque princeps de dierum in insula Thule spatio disseruit. Verum ista ejus, sicut et Bedæ, propria laus est, quod dilucide quæ sit inter utramque rem convenientia exposuerit, rem indubitate affirmaverit, et solem a quodam colle abscondi eaque causa oculorum obtutum effugere asserentis Dicuili [3] in sententiam non iverit.

Atque ideo, ut observat S. Günther [4], apud Adamum progressa est rerum naturæ scientia, cum experimento hic contemplationes com-

1. K. Kretschmer, p. 34 sqq. — Adamus in K. dissertatione non citatur; quem etiam multæ aliæ graves notitiæ præterierunt.

2. Beda multo majoris momenti est quoad Adami disciplinam, quoad etiam geographiæ historiam, quam Virgilius ille Salisburgensis, qui cum antipodes esse doceret propterea damnatus est. De quo omnia prorsus ignoramus.

3. Letronne, *Recherches sur Dicuil*, Paris, 1814, p. 38 et 131.

4. S. Günther, *Studien zur Gesch. der mathematischen undphysikalischen Geographie*, Halle, 1879, p. 8 : « Adam von Bremen... wurde zu einer correcten Darstellung der scheinbaren Umlaufes der Sonne um die als kugelformig vorausgesetzte Erde geführt, wie diess seiner Zeit auch bei Pytheas von Massilien der Fall gewesen war. Von Standpunkte der induktiven Naturforschung aus hat sich hier ersichtlich ein tiefgreifender Fortschritt vollzogen, denn etwas ganz Anderes ist es, philosophisch die für oder gegen die Globosität der Erde gültigen Gründe abzuwägen und sich für die eine oder andere Lehrmeinung zu entscheiden, oder aber die theilweise verwickelten Phänomene der sogenannten *Spaera obliqua* direct mit dieser Kugelgestalt in Verbindung zu bringen. »

probentur. Aliud enim agit qui philosophorum instar utrum rotunda sit terra disserit et alterutram sententiam metaphysicis causis, ut Virgilius Salisburgensis, amplectitur ; aliud qui ab hac ipsa rotunditate dierum noctiumque spatium pendere decernit. Quo enim tempore torpebant, ut aiunt, mentes, tenebris circumfusæ, usque eo devenit Adamus ut de ficto solis circa rotundum terrarum orbem circuitu, quod antea Pytheas, recte et dilucide disseruerit. Qua quidem re non parum illi profuit quod, utpote Aquilonis regione degens, quæ sit procul in Septentrione dierum noctiumque inæqualitas a nautis et peregrinis comperire potuerat[1].

Item de Adami physica geographia ea sunt discernenda quæ ab antiquis accepit et quæ proprio ingenio et per se didicit : pauca licet in hac ratione et minoris momenti quam de mathematica geographia[2].

Juxta Adamum (IV, 10, 34), Oceano quasi extremis finibus terra cingitur : « Terribilis visu et infinitus Oceanus totum mundum amplectitur. » Quæ notio fere apud omnes antiquos reperitur, nominatim apud Martianum et Solinum, etiam in Ecclesiæ patribus et in Germanorum mythologia invenitur ; de qua non amplius disserendum.

Oceani pars septentrionalis glacie et tenebris perfusa est ; quam quidem Adamus triplici nomine designat : mare concretum, seu caligans, seu *Libersee*. Ex his primum (IV, 38) a Martiano accepit[3], ut ipse nos monet. Idem nomen propemodum indicente Dicuilo, suspicati sunt nonnulli[4] Adamo aut ejus scholiastæ illum auctorem

1. « Adam von Bremen drückt sich über die zunehmenden sommerlichen Tageslängen bei wachsenden Breiten mit der gleichen Schärfe aus, wie ein Schüler des classischen Alterthums. Unter den Autoren die er benutzte, befindet sich nicht bloss Solinus, Orosius und Beda, sondern auch Macrobius und Martianus Capella. Wer die beiden letzten Lehrer verstehen konnte, musste ganz sicherlich in die Wahrheiten des sogenannten ptolemäischen Systems eingeweiht sein » (Peschel, *Gesch. d. Erdkunde*, p. 99-100).

2. « La géographie mathématique fut en effet constituée avant la géographie physique : le progrès des sciences pures, déductives, dépend presque uniquement de la profondeur d'esprit des hommes qui s'y vouent, et fort peu du nombre des remarques à faire : il n'en va pas de même de la géographie physique. » (M. Dubois, *Examen critique de la géographie de Strabon*, p. 184).

3. Martianus, VI, 666 (ed° Eyssenhardt, p. 228).

4. *Archiv*, VI, p. 891.

non ignotum fuisse. Hanc vero suspicionem nihil in Adami opere confirmat, et ex eodem fonte Adamum et Dicuilum hausisse verisimilius arbitramur.

Quod autem nomen sæpissime usurpat *mare caligans* (Ad., IV, 10, schol. 149, IV, 38, 39, 40) existimat Giesebrecht[1] id a romanis scriptoribus accepisse, non a germanica mythologia quam ab ejus opere omnino alienam fuisse asserit. Verum, juxta Lappenberg[2], vox « mare caligans » neutiquam romana, sed latine potius translata est e germanica voce *Dumbshof*, qua Oceanus glacialis a mythologia designatur. Quæ quidem vox regionum istarum nebulas, et silentium, et latebras satis apte significat.

Vox vero *Libersee* (schol. 144) dubio procul germanicum sonat ; *Kohl*[3], de hoc Adami capitulo disserens, asserit mare, priusquam gelu coaguletur, quodam medio statu consistere quo quidem, innumeris crystallis fluitantibus, quasi glutinosum videtur, seu, ut Bremensi dialecto dicebant, *libberig*[4].

Haud ita facile dicam cur idem mare Adamo gelidum esse videatur, quia vi salis concrescat : « ita spissum a sale, ut vix moveri possint naves, nisi tempestatis auxilio » (schol. 144); cur etiam « eadem glacies ita nigra et arida videatur propter antiquitatem, ut incensa ardeat » (Ad., IV,35). Hic quibusdam medii ævi de physica doctrinis utamur necesse est[5]; quidam Bedæ[6] locus, quem Adamo notum esse verisimile est, rem forsan explanabit.

1. Giesebrecht, *Baltische Studien*, VI, p. 200.

2. *Archiv*, VI, p. 865. Cf. Rasmussen, *dissert. cit.*, in *Journal Asiatique*, VI, p. 65. Ceterum, romanam originen cum germanico fonte contendere non decet, cum Romani e Pythea Massiliensi, Pytheas autem e septentrionalibus narrationibus hæc omnia hauserint. Cf. Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, I, p. 403-422. Weinhold, *Die Polargegenden Europas nach den Vorstellungen des deutschen Mittelalters*, Wien, 1871. A. Fécamp, *Le poème de Gudrun*, Paris, 1892, p. 165.

3. Kohl, *Die erste deutsche Entdeckungsreise zum Nordpol* (*Brem. Jahrb.*, V, p. 174, 194 (1870).

4. Facile a *libberig* ad *klebrig*, a *Libersee* ad *Klebersee* (Geronnene meer) pervenias. De quo *Libersee* aut *Lebermeer* sæpe fit mentio apud medii ævi auctores. *Labkraut* = (lactis) coagulum. Antiqua terræ descriptio germanica lingua xɪ° seculo *Meregarto* dicta *Lebirmere* commemorat. Cf. Müllenhof u. Scherer, *Denkmäler deutscher Poesie und Prosa*, Berlin, 1864, p. 69 et 348. O. Krümmel, *Plankton Expedition*, I, A, p. 118.

5. Kretschmer, p. 105.

6. Beda, *de Natura rerum*, cap. 40 et 41 (Migne, p. 260).

Quæsierant enim temporis illius homines cur non imbris et fluminum, sed maris tamen salsa sit aqua : quam rem stagnationi tribuendam existimaverant. Namque, juxta eos, quod in maris aqua levissimum purissimumque est sol exhaurit, quod autem grave et aridum, sal scilicet, quasi residuum quoddam in mari consistit. Ceterum dulcem aquam propria vi sal ipse haurit et absumit ; id enim proprium habet sal ut siccus sit et in se calorem retineat : « Mare idcirco salsum permanere, inquit Beda, tot fluminibus ac pluviis irrigatum, quod exhausto a sole dulci tenuique liquore, quem facillime trahit vis ignea, omnis asperior crassiorque linquatur. »

Quæ cum ita sint, facilius, ut nobis videtur, de glaciali Oceano disserentem Adamum intelligemus. Concretum enim, quod stagnent ejus aquæ, eumdem esse novit, et ita concrescere quod plurimo sale gravetur; ideo *klebrig* est, glutinosus et siccior, et, ut ait Adamus, glacies « ita arida ut incensa ardeat[1]. »

Utcumque res sit, si ea quæ de illis regionibus a recentioribus auctoribus descripta sunt didiceris, in hoc « mari caligante » quod toties memorat Adamus septentrionales nebulas facile agnosces, et miraberis quam apte indicet summum utrumque periculum nautis ibidem præcipue vitandum : « periculum caliginis et provintiam frigoris evadentes. »

Alia de Boreali Oceano memorat Adamus. In « caligante mari » pervenerat Haraldus ad « immane abyssi barathrum » (Ad., IV, 38). Atque adeo, cum tenebris et glacie Frisii impediti tenentur, « ecce

1. Adde quod in glossario isidoriano XI[i] seculi *lebirmeri* invenimus ut germanica translatio *maris mortui*. Sed Isidori *mare mortuum* nihil aliud est nisi Asphaltites lacus. Nescio quomodo permiscuerit Adamus in mente aquam propter evaporationem aut inclusum bitumen graviorem et aquam frigore coagulatam. (V. Müllenhof u. Scherer, *op. cit.*) Quid nunc « glacies incensa ardeat » significare potuit ? Contendunt plerique commentatores hic de Islandiæ ignivomis montibus, submarinis forsan aut subglacialibus, mentionem fieri. Sed potius ad palustres glebas, quæ ad cremandum aptæ sunt (gallice : *tourbe*) alluditur (Cf. E. Reclus, *Europe du Nord-Ouest*, p. 916). Affirmat Poestion (*Island*, p. 8), glaciatos agros ad hujus glebæ incrementum melius paratos. Duobus reliquiis (*Archiv*, VI, p. 887-888) hæc sententia confirmatur; prior, incerto tempore scripta, in codice quodam Solini ineuntis XIII[i] sæculi reperitur : « Marina glacies in simul collisa se ipsam accendit, et accensa quasi lignum ardescit. » El in carmine XI[i] ineuntis seculi legimus Islandicos in coquendo glacie uti. Quæ explanatio eruditos homines fugere non debuisset, cum paulo infra dixerit Adamus in Islandia « minimam lignorum copiam » esse (IV, 35).

instabilis oceani euripus, ad initia quædam fontis sui archana recurrens, infelices nautas... vehementissimo impetu traxit ad chaos illud profundum, in quo fama est omnes recursus maris, qui decrescere videntur, absorberi et denuo revomi, quod fluctuatio crescens dici solet. Tunc illis solam Dei misericordiam implorantibus... impetus ille recurrens pelagi quasdam sociorum naves abripuit, cæteras autem revomens excursio, longe ab alteris post terga reppulit. Illi... toto nisu remorum fluctus adjuvarunt » (IV, 39). Quæ quidem loca obscuriora sunt quum ut de maris æstu agi facile primum intelligas. Verum quæ inferius addit (IV, 40) nihil dubii superesse sinunt : « Sunt et alia quæ non incongrue essent dicenda de illo æstu maris in die bis citato : quod miraculum præbet omnibus maximum ; ita ut ipsi, qui arcana rerum phisici perscrutantur, in dubitationem cadant ejus rei, cujus ignorant originem. Cumque Macrobius et Beda videantur ex illa re aliquid loqui, Lucanus autem nihil se scire fateatur, diversi auctores variis pugnant sententiis ; omnes autem incertis abeunt rationibus. » Cumque tam incertas sequuntur rationes, eas non referendas censet noster, et argutia quadam difficultatem eluctatus, renuntiat « cum sint abyssus Dei judicia, et incomprehensibilia dicantur », nihil mirum esse quod abyssus ipsa intelligi nequeat.

Verumtamen dilucide prius et egregie de æstus transmissione scripserant et Macrobius[1] et Beda[2], a quo ea lex perlata est : « Æstus Oceani lunam sequitur. » Mirum sane est Adamum nihil, vel leviter, attigisse de illa lunæ virtute tam perspicua, ut Phœnices non latuerit, et ipsi agrestes ferique homines illam propemodum præsenserint. Cujus Adami ignorantiæ ea una forsan adhibenda est causa, quod ad Baltici tantum maris littora, vix æstui obnoxia, appulerat, neque ipsi cum Bremæ degeret, eumdem maris æstum recte observare licebat. Beda vero maximos Anglici littoris æstus penitus noverat.

At quamvis Adamus rem definire dubitet, ipsis ejus verbis eum a Solino nonnihil accepisse conjicere est. Sic enim ille[3] affirmat

1. Macrob. *Somn. Scip.*, II, 9.
2. Beda, *de natura rerum*, cap. 39. Cf. Günther, *Gesch. d. mathem. Unterrichts im Mittelalter*, p. 4.
3. Solin. XXIII, 20, 21, ed° Mommsen, p. 120.

« in profundis Oceani nares quasdam mundi constitutas, per quas emissi anhelitus vel reducti modo efflent maria, modo revocent. » Quæ verba postquam citavit Isidorus[1] duplicem aliam explicationem memorat, Deo judici solvendam litem relinquens : « Hoc Deo soli, ut ait, cognitum est. »

Nunc vero, cum comperta habeamus quæ Adamus ab antiquis et a coætaneis de maris æstu accepit, in promptu est definire quæ ex Adalberti narratione hic exhausit. Quæ quidem pauca sunt et minoris momenti : occurrerunt Frisii nautæ violentis maris derivationibus, quas quidem maris æstus fuisse patet, quippe quæ *bis in die mutarentur*. Quibus ad scopulos aut glacie montes *iceberg* dictos provehebantur; procella forsan seu potius nebulis, perturbato mari et intermisso vento, ingravescebat periculum. Naves aliæ submersæ sunt, aliæ recedenti æstu evaserunt[2].

1. Isid., *Nat. rer.*, cap. 40.

2. Quo locorum sita sit ea derivatio sive vortex frustra, ut credimus, investigare conatus est eruditus vir Weinhold, *Die Polargegenden Europas nach den Vorstellungen des deutschen Mittelalters*, in *Sitz. Ber. der phil. histor. Klasse der K. K. Ak. d. Wissensch.*, Wien, 1871, t. 68, p. 783-808) : qui hic de orientali Gronlandiae littore agi existimat, ubi violenta derivatio glaciei moles volvens occurrit. Potius æstus derivatio quæcumque apud Adamum notatur ; quænam sit, dictu difficillimum.

CAPUT II

DE OLLA VULCANI.

Noveritne Adamus ignivomos Islandiæ montes, aut de eis scripserit, minime patet, quamvis plurima ea de re disserta fuerint. Dubia primum loca exponemus, tum quæ sint eorumdem explanationes propositæ, demum quid potius tenendum sentiamus.

Ubi tam luculente de Islandia scribit Adamus (IV, 35) plurima invenias, v. g. quo loco sit sita, quæ sit ibidem dierum noctiumque longitudo, quid de concreto mari ipse sentiat, qui sint incolarum mores, quoque modo ad christianam fidem evecti, quid commercii cum Bremensi ecclesia habuerint. Neque vero ad ignivomos montes eum alludere credideris, nisi cum « de glacie nigra et incensa » scribit, et cum addit scholion 149 : « Juxta Island est oceanus glaciatus et fervens et caligans. » Aliter vero, ut supra vidimus, possunt eadem explanari.

Quam Adami omissionem cum mirarentur nonnulli, alium ejusdem locum adierunt, nempe (II, 19) eum quo describitur Slavania. Quæ cum sit Adamo satis nota regio, eum de Odaræ cursu scribentem facile intelligas. Ubi enim in Balticum mare ille amnis devolvitur, ibidem perillustris illa sita est Iumne civitas, quæ celeberrima Barbaris Græcisque circumstantibus statio est. De qua cum plurima vix credibilia narrentur, nonnulla sibi memoranda existimat noster, nempe Iumnem omnium Europæ civitatum esse maximam; eam, cum gentibus aliis, græcis ac barbaris, Slavos incolere; ibi manendi licentiam Saxonibus concedi, ea tantum conditione ut nullatenus, quamdiu manserint, christianos se esse declarent; eamdem urbem omnium septentrionalium regionum mercibus abundare; plurima ibidem præclara inveniri, et quæ vix alibi reperias : « Ibi

est Olla Vulcani, quod incolæ Græcum ignem vocant, de quo etiam meminit Solinus. Ibi cernitur Neptunus triplicis naturæ : tribus enim fretis alluitur illa insula, quorum aiunt unum esse viridissimæ speciei, alterum subalbidæ, tertium motu furibundo perpetuis sævit tempestatibus. » Dein docet Adamus quam longe a nonnullis aliis regionibus distet Iumne, et ad Oderam redit, quam cum Albi flumine confert.

Doctus vir *L. Giesebrecht*, qui de hoc loco in compluribus scriptis fuse disseruit[1], pro comperto habet Islandiæ ignivomos montes Adamo profecto notos fuisse, et de istis eum necessario scribere debuisse. Neque dubitat quin voce *Olla Vulcani* Adamus ejusque coævi ignivomi montis craterem significent. Unde inferendum aut Adamum Islandiam pro Wollin habuisse, aut istum esse cujusdam librarii errorem, et locum II, 19 fuisse interpolatum. Quarum opinionum primam principio secutus erat *Giesebrecht.* Verum regem Suein, Adami testem, non adeo de slavico littore errare potuisse ut ibi subterraneum ignem ardere existimaret haud multo post declaravit idem Germanicus auctor[2]. Tunc librarii errorem fuisse demonstrare tentat triplici ea ratione : 1° interpolationem fuisse constat; 2° unde ea orta sit; 3° ubi et quo sensu dubius ille locus legendus sit.

1° Juxta Giesebrecht, totus ille cap. 19 locus ab : *In cujus ostio* ad *Sicut ergo prædictum est,* fuit interpolatus. Non cohærere inter se sententias putat, transeundumque existimat ab : *Ultra Leuticios Oddara flumen occurrit,* ad : *Oritur in profundissimo saltu Marahorum.* Posteriori autem tempore mira illa de Iumne civitate scripta fuisse asserit. Postremo, hæ voces : *Ibi est Olla Vulcani,* cum apud Helmoldum, qui tamen Adami locum de Iumne refert, non reperiantur, eæ merito suspectæ habendæ sunt.

2° Illæ *Ollæ Vulcani* locus habebantur quo defunctorum animæ culparum pœnas solvebant. Cum autem montes ignem evomentes in meridionali Europa *Ollæ Vulcani* (*Töpfe des Vulcan*) vocarentur, et damnatorum supplicii loca existimarentur, eos Islandiæ chris-

1. L. Giesebrecht, *Von dem Topfe des Vulcanus in Julin* (*Pommersche Provincial-Blätter*, t. IV (1822), p. 151-160. Id., *Nordlandskunde*, p. 161 sqq., et p. 194. Id., *Baltische Studien*, VI, p. 195. Id., *Wendische Geschichten*, II, p. 91.

2. Sigebert. Gemblac. *Chron. ad ann.* 998 (*Monum. Germ.*, *Script.*, VI, p. 353).

tiani incolæ *græcum ignem* nuncupabant. Neque meliori jure ulla gens eis igne torquenda videbatur quam Græcorum, quippe qui, utpote hæretici, paganis pejores essent. Vox autem *græcus ignis* cum idem sonaret quod *Ollæ Vulcani*, eo devenit librarius quidam ut eas ad Odaræ ostium sitas esse intelligeret, scilicet in Iumne quo multi convenerant Græci, et ubi christiani romani de religione silere necesse habebant.

3° Quo loco describitur Islandia (IV, 35), ut patet, post verba : *ut incensa ardeat*, melius locanda sunt *Olla Vulcani* et *Neptunus triplex*. Saxo Grammaticus[1] Islandiam tyrannis tormentorum locum esse asserit, neque quemquam latet plurimos medii ævi pios auctores hanc insulam reproborum sedem existimasse. Igitur ad ignivomos Islandiæ montes alludit *Olla Vulcani ; Neptunus* vero *triplex* (quocum scholiam 149 confert *Giesebrecht*), ad varios maris hanc insulam circumdantis habitus, cum sint inter littora uberrimum aliud, aliud glacie constans, aliud autem atris tempestatibus obnoxium.

Mira satis, fateor, ea eruditi viri *Giesebrecht* opinio videtur, neque eam ipse lucidioribus probat argumentis. Hanc tamen plurimi, in primis Dietrich, secuti sunt[2]. Qui autem docto Giesebrecht adversantur, ut Lappenberg[3], interpolatum locum fuisse negant. Neque nos fugiat mendoso codice usum fuisse Ludovicum Giesebrecht, quiquidem cur Solinum Adamus meminerit nullatenus explicat. Postremo, pro certo habet ille Islandiæ ignivomos montes Adamo necessario memorandos fuisse ; de quo commode dubium est. Quæ enim hodie quam maxime attendimus, ea id temporis annotata fuisse nullatenus liquet. De his majoribus insulæ montium ignibus nihil scribit Dicuilus. Ceterum, hæc Olla Vulcani *Hecla* non fuisset, quæquidem, saltem ut historicis temporibus, non ante annum 1104 primum erupisse videatur. Quod ipse L. Giesebrecht notatum voluit[4]. Profecto alios Islandiæ montes ante IX^{um} et X^{um} secula eru-

1. Saxo Grammaticus, *Historia Danica*, præf., p. 70 (ed° Müller, 2 v. 8°, Copenhague, 1839-58).
2. Dietrich, in *Kettler's Zeitschr.*, t. V, p. 203-204.
3. *Archiv*, VI, p. 813-817.
4. *Wendische Geschichten*, II, p. 91.

pisse novimus[1]. Sed cum illos montes describunt medii ævi auctores, eadem descriptione, ipsis fere iisdem verbis utuntur, ex quibus eos ab Adamo prorsus discrepare intelligas. Scripsit quidem v. g. Saxo de Hecla[2] monte, verum ita lucide ut nullus maneat ambigendi locus : « Mons qui rupem sideream perpetuæ flagrationis æstibus imitatus incendia sempiterna jugi flammarum eructatione continuat. »

Remota igitur ea opinione, neque accepta intercalatione, illa nobis quærenda est *Olla Vulcani* in Iumne, ad Odaræ ostium. Qua in re frusta operam impenderunt commentatores. Juxta Asmussen[3], *Olla Vulcani* nihil aliud significat « nisi terræ hiatum æstuantem et fumantem », et Neptuno triplici indicatur *Triglaff*, slavicum illud triplici capite simulacrum, sive triplex castellum quo summa civitas muniebatur. Aliis[4] videtur *olla* a *Wollin* non abesse, neque *græcus ignis* a quadam male intellecta Slavica voce. Primum quidem Lappenberg[5] *Ollam Vulcani* pro mercibus quibusdam vult intelligi, cum in præcedenti loco de mercibus agatur quas Iumne reperire est : « Urbs illa mercibus omnium septentrionalium nationum locuples nihil non habet jocundi aut rari ». Hic vero non stat, et hanc *Ollam Vulcani* pharum esse posse asserit (*Feuertopf*, *Feuerbake*), qui his fretis, quæ periculosa esse scribit Adamus, affulgeat.

Quæ satis, ut liquet, confusa ut paulisper explanemus, quærere nobis in mente est : 1° quid sonet hæc vox : *Olla Vulcani;* 2° quid *Græcus ignis;* 3° ad quem Solini locum Adamus sese retulerit; 4° apud quos scriptores Adami locus reperiatur. Unde intelligemus plures ortas esse arduas quæstiones ex iis ipsis eruditorum commentariis de hoc loco scriptis, quem nec ita mendosum nec adeo obscurum arbitramur.

1° Vox *Olla Vulcani* nusquam apud classicos, interdum apud nonnullos medii ævi auctores invenitur. Gregorius Magnus[6] *Ollam Vulcani* vocat Vesuvium, in quem Theodorici regis anima præceps

1. De Islandiæ eruptionum chronologia, v. Poestion, *Island*, p. 131 (ex Thoroddsen, *Oversigt over de islandske Vulkaners Historie*).

2. Saxo, præfatio, p. 14.

3. Asmussen, *Comm. de fontibus*, p. 43-44.

4. Ea vide et alia adhuc apud L. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 194-197, et *Baltische Studien*, VI, p. 197.

5. *Archiv*, VI, p. 814-817.

6. *Dialog.*, l. IV, cap. 30. De morte Theodorici regis Ariani (Migne, t. 77, p. 369).

immissa est. At dubius locus est, et *insulam* forsan, non *ollam* legere est, cum græce νῆσόν habeamus. Meminit item Vindobonensis IX° seculo archiepiscopus Ado *Vulcaniam ollam* in quam, juxta visionem quamdam, abductus fuerat Ebroïnus, major palatii, ut scelerum pœnas daret[1]. Rudolphus Glaber[2] Vesuvium memorat « qui et Vulcani olla dicitur ». Et, ut ceteros omittamus, Sigebertus Gemblacensis[3] narrat abbatem Cluniacensem Odilonem, anno 1048 vita functum, a pio quodam peregrino accepisse, qui ipse ab eremita Siculo didicerat, « quod in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis Ollæ Vulcani, in quibus animæ reproborum luant diversa supplicia. »

2° Quæ quidem satis probant voce *Olla Vulcani* craterem sæpe designatum fuisse. Neque vero Adami locum magis illustrant, quippe qui nec de Sicilia, nec de purgatorio quod ibi reperire sit, manifesto agat. Nec usquam vox *græcus ignis* ignivomum montem significat. Ille autem *græcus ignis* quid certo sit plane novimus ; id est gallice : *feu grec ou grégeois*. Necesse ergo est inter utramque vocem ab Adamo usurpatam, illam potissimum eligi cujus liquidissimus sit sensus, ut ea explicetur quæ rarior est et obscura. *Olla* sic a Ducangio describitur : « Genus vasis aut mensuræ distinctum ab olla vulgari. » Quod autem *Ollæ Vulcani* ignivomi montes vocantur, non necessario vox ea nihil aliud usquam sonat. Quomodo igitur montes illi ab Adamo *græcus ignis* vocentur, et ad Odaræ ostium collocentur, quis vel subtilissimis argumentis intelligere valeat? Contra, quod græcum ignem *ollam Vulcani* vocet, et eumdem græcum ignem in Iumne reperire sit, quis miretur? Neque demum alio modo Solini mentionem interpretare licet.

3° Profecto, sive retuleris *de quo* ad *Olla Vulcani*, sive ad *græcus ignis*, nullam omnino vocum illarum apud Solinum invenies. Quæ igitur Adami loco magis consona sunt quæsierunt nonnulli. Cap. V° Solinus memorat *Vulcanias insulas*, Hieram, Ætnam. VI° vero hæc legere est : « Hiera, sacra Vulcano, colle in eo nocturnas evomente flammas. » Num igitur apud Adamum legendum

1. Ado Viennensis, *Breviar. Chron.* (*Monum. Germ.*, *Script.*, II, p. 315).
2. Rud. Glaber, II, 7 (ed° Prou, p. 39).
3. Sigeb. Gemblac., *loc. cit.* (*Scriptores*, VI, p. 353).

sit *insula* aut *collis*, non *olla*[1]? Cum Germaniam describit Solinus (cap. XX) memorat fictam illam *Glesariam* insulam quæ succinum profert. At neque Adami coævi e montibus ignivomis succinum oriri arbitrare potuerunt, et Adamus ipse (IV, 34) succinum *electrum* vocat, quod quidem arboris resinam esse Solinus novit[2].

Ad illa igitur loca non se retulit Adamus. Verum cap. XXI scribit Solinus de quodam oleo medico, quod in Mæsia reperire est : « Oleum quod vocant Medicum : hoc ad incendium excitatum si obruere aqua gestias, ardet magis nec alio sopitur quam jactu pulveris. » Quod quidem oleum Medicum non græcum ignem, sed potius petroleum aut naphtam haud ægre crediderim. Sed facile potuit Adamus noster Solinum de græco igne intelligere, qui Medicus[3] etiam ignis vocabatur. Eodem errore quivis alius potuisset abduci, et multo facilius Adami locum sic interpretamur quam obscuris Germanicorum eruditorum argumentis. Adde quod minime mirum est græcum illum ignem quem primum Byzantii VIII° seculo protulerat Callinicus, in Iumne, cui cum Græcis tam frequens usus erat, seculo XI° reperiri.

In eo igitur Adami loco aut de vase ipso agitur, nempe de olla in qua Græcus ignis capitur (Olla Vulcani), aut de ignigena ipsa materie (si, pro *olla*, *olea* legeris). Ollam Vulcani græcum ignem esse (gallice : *feu grégeois*) jam interpretatus est, anno 1745, Schwartzius quidam Greifswaldensis ea de re latine disputans, juxta Asmussen[4]. Qui vero recentius scripsere hanc opinionem ignoraverunt aut minimi fecerunt, hoc solo nisi argumento quod quatuor sæculis ante inventum græcum ignem Solinus vixerit. Et revera de ignivomis Islandiæ montibus quo loco disseruisset Adamus in primis quærebant.

4° Annalista Saxo[5] totum Adami caput immutatum retulit. Helmoldus vero (I, 2) Adamum haud multum illustrat, nec parum ipse

1. Asmussen, *Commentatio*, p. 43.
2. *Archiv*, VI, p. 815.
3. De græco igne, vide M. Berthelot, *Les compositions incendiaires dans l'antiquité et au moyen âge. Le feu grégeois et les origines de la poudre à canon* (*Revue des Deux-Mondes*, 15 août 1891; cum indice auctorum, p. 786).
4. Asmussen, p. 44 (nota).
5. Annalista Saxo ad ann. 983, in *Monum. Germ.*, *Script.*, VI, p. 631.

liti subjacet : « Hanc civitatem (Iumnem) opulentissimam quidam Danorum rex, maxima classe stipatus, funditus evertisse refertur. Presto sunt adhuc antiquæ illius civitatis monumenta. Ibi cernitur Neptunus triplicis naturæ. Tribus enim fretis alluitur illa insula... » cetera ut apud Adamum. Juxta *L. Giesebrecht*, rem male interpretatus est Helmoldus ; qui quidem unum presto esse monumentum *Neptunum hunc triplicis naturæ*, id est triplicis capitis, existimat. Giesebrecht vero de quadam re naturali apud Adamum agi pro certo tenet. Rursus autem Dietrich [1] aliud aliter interpretatur, si quidem apud Helmoldum illa verba : « *Presto... monumenta* » ad priora referenda sunt ; hæc vero : « *Ibi cernitur...* » ad proxime sequentia. Sin minus, *nam* aut *enim* post *tribus*, non autem post *ibi* subjungi necesse est. Ceterum, Helmoldi loco firmatur nostra sententia, nempe *Ollam Vulcani,* si mercedem intelligas, evanuisse, civitate funditus eversa ; Neptunum vero triplicem præsto adhuc esse, siquidem naturale quoddam sit.

Ex his colligere est locum istum II, 19, nullo modo ad Islandiæ descriptionem referendum esse, neque de ejus insulæ montibus esse intelligendum. Inter alias mercedes Iumne reperitur *Olla Vulcani* aut Olea Vulcani) quam quidem incolæ græcum ignem vocant ; de qua scripsit Solinus. Neptunus vero triplex mare circa insulam Wollin designat, et triplicem aspectum quem idem præbet intuentibus, sive *Oder-Haff*, sive *Swinam*, sive *Pommersche Bucht* (aut etiam, *Haff*, *Divenow* et *Swine*) conspicias.

1. Dietrich, *loc. cit.*, p. 204 (nota 1).

PARS TERTIA

CAPUT PRIMUM

DE ADAMI TOPOGRAPHIA.

Non ea præcipua laus est Adami geographi, quod de nonnullis rebus physicis disseruit, quas quidem vix nosse, nullatenus propriis argumentis explanare poterat. Septentrionales vero regiones earumque incolas suopte ingenio lepidius describit. Priusquam illas geographicas descriptiones et notitias propius contrectemus ac magis perspiciamus, nunc quomodo noster omnes regiones boreales communiter complectatur, qua ratione eas inter se congruere existimaverit, quo pacto ea constrinxerit et quasi coagmentaverit, oportet inquirere.

Verumenimvero, quam sibi Adamus finxerit imaginem in tabula geographica delineare maxima difficultate non careret, eique pressius insistere omnino vanum foret, quippe qui propria mente non nitide omnino neque dilucide eam informaverit. Attamen inter se revera plane cohærent ejus consilia, et quid in eis emineat invenire possumus. Etenim non modo minores quasdam regiones vere expressit, sed identidem, in scholiis præsertim, populorum etiam situm mirum in modum discriminat; insuper disciplinam geographicam sibi finxit a qua nullatenus discessit.

Ac primo Scandinavii nautæ, Adami coævi, incertis quidem ad locorum situm determinandum rationibus utebantur. Sane quod

nobis voce *loch* innuitur non ignorabant[1], sed opinio est septentrionalibus populis nonnisi post primas Hierosolymitanas expeditiones, XII° aut XIII° seculo, bussolam[2] innotuisse. Ut ex eorum calendario patet, astrorum scientiam ita provectam habebant, ut solis et stellarum, polaris in primis stellæ, posituram dignoscerent. Ex *Libro Datico Roskildensi* constat Roskildæ latitudinem anno 1274 computatam fuisse, juxta spatium longissimæ æstivalis diei; cujus quidem generis computationes ab episcopis in nonnullis aliis Septentrionis urbibus effectas esse[3] verisimile est. Sed nonnihil erroris vel in his admittere debebant. Cursum autem navium e siderum inspectione et maris derivationum observatione dirigebant. Corvis etiam, Odini avibus, ad terram dignoscendam utebantur[4]. Littora potissimum legebant, tamen in altum primi omnium necessitate coacti tendere et a ripis impavidi discedere ausi sunt.

Spatia[5] plerumque per *dies itineris* computat Adamus : quæ quidem incerta sane et inconstans est mensura, quum *dies itineris* non eadem sit terra ac mari peregrinantibus. In utroque tamen casu nox raro computatur, cum noctu ut plurimum consisterent. Scandiorum navium figuram ac magnitudinem plane novimus[6]; quid autem spatii intra certum navigationis tempus metirentur, nonnisi ex quibusdam Adami Alfredique regis locis, urbium aut regionum inter se dissitarum distantiam numerantibus, possumus conjicere. Quidquid ergo exinde inferre tentaremus, in circulum vitiosum rediret. Id tantum aliquo modo asseri potest, vulgo circa XV milliaria geographica intra diem id temporis nautas navibus emetiri

1. Navigatio ex Dania per mare Balticum ad Esthoniam (Langebeck, *Script. rer. danic. medii ævi*, t. V, p. 622.

2. Forsan si minus ipsam *bussolam*, at tamen ferri magnetici virtutem XII° sæculo non ignoraverunt. Perobscura est illa quæstio. Cf. Possart, *Zeitschr. f. vergl. Erdk.*, t. IV, p. 387; d'Avezac, *Anciens témoignages historiques relatifs à la boussole*, Paris, 1858, in-8°; Klaproth, *Lettres sur la boussole*, p. 38 sqq. (Paris, 1834). John Murray, *Scott. Geogr. Mag.*, 1893, et locos qui ab illo proferuntur.

3. Langebeck, *Script. rerum danic. medii ævi*, t. III, Hafniæ, 1774, p. 267. Cf. Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*, p. 54.

4. Peschel, I, p. 206. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 126 et 371. Klaproth, *loc. cit.*

5. Gustav Storm, *Studies on the Vineland Voyages* (*Mém. Soc. Antiq. Nord*, 1888, p. 336). Götz, *Verkehrswege*, p. 359. Gelcich, *Ueber die Materialen zur vorcolumbischen Geschichte Amerikas* (*Zeitschr. d. Gesellsch. f. Erdk.*, Berlin, 1890, t. XXV, p. 104).

6. Steenstrup, p. 210. Riant, p. 52-55. Weinhold, p. 126. *Heimskringla*, passim.

potuisse[1]. Adde quod dierum itineris numerus eo brevior fit, spatiorumque computationes eo magis a veritate aberrant, quo remotioribus de terris agitur[2]. Terra iter vel pedibus, vel equo (III, 62), vel in lectica (III, 60) conficiebatur: nonnunquam etiam fluminibus, quoties ipsis licuit, utebantur. Viæ quædam, aut saltem semitæ, ac pontes jam muniebantur. Qui Scandinaviæ asperrima juga lustrabant tardius progrediebantur; Daniam propter faciliorem viam paulo citius peragrabant. A *Sliaswig* in *Alaburg* per directum quinque aut septem dierum iter metitur Adamus; ita ut terreni itineris dies quinque circiter geographicorum milliariorum esse videatur. Voce *rasta* semel utitur noster, quam milliarii germanici spatium comprehendisse putant[3].

Antequam Adami notiones amplius perscrutemur, geographica quædam ab eo usurpata vocabula videntur explananda, in primis vocis *insulæ* significatio inquirenda, cum ubique insulas collocaverit. Nonnulli quidem, ut quosdam Adami locos explicarent, mutationes invocaverunt quas temporum decursu in littorum configuratione accidisse existimabant. Et vero maris littora, a Ripa ad Scaldis ostia historicis temporibus haud dubie satis instabilia fuerunt[4]. Sed Adami, ut plerorumque scriptorum, testimonia ad

1. Vivien de Saint-Martin, *Hist. de la Géogr.*, p. 229, dies itineris XXIV horis constare asserit, et XXV leucas communes aut LX millia marina complecti. Modum excedit Rafn (*Mém. sur la découv. de l'Amérique au* x[e] *siècle*, Copenhague, 1843, in-8°), qui navigationem unius diei ad XXVII aut XXX milliaria geographica æstimat; nec aliter Weinhold, qui de XXIV-XXVII milliariis, et Beauvois (*Découv. des Scandinaves en Amérique*, p. 14) qui de XXII myriametris pro die loquuntur.

2. Exempli gratia citat Peschel (p. 84, note 3) Adami locum (IV, 35) qui unum diem supputat a Dronthemni ad Orcadas, et septem dies ab Orcadis ad Gronland.

3. V. Ducange, v° *Rasta*. Possart, *Zeistchr. f. vergl. Erdk.*, IV, p. 392; Geijer, *Gesch. Schwedens*, p. 57. Weinhold, p. 336. *Heimskr.*, III, p. 448.

4. Frisiæ septentrionalis complures insulæ a Slesvigio non prius quam XIII° sæculo sejunctæ videntur. Sinus dictus *die Jahde* ante annum 1218, item sinus *Dollart* ante 1277 non existebant (Himly, *Europe centrale*, II, p. 117-118). Slesvigii littus *Uthland* sive *Exterior Terra* appellatum multum imminutum est. (E. Reclus, *Europe centrale*, p. 729 et 888). Cf. Suess, *Antlitz*, II, p. 500-546. Wahnschaffe, *Die Ursachen der Oberflächengestaltung des norddeutschen Flachlandes* (*Kirchhoff's Forschungen*, VI (1891), p. 161 sqq.). Turner, *History of the Anglo-Saxons*, I, p. 118. Hansen, *Die Besiedelung der Marsch zwischen Elb und Eidermündung* (*Peterm. Mitteil.*, 1891, p. 105). Id., *Küstenänderungen im südwestlichen Schleswig* (*Peterm. Mitteil.*, 1893, p. 177). Hansen autem quamvis has littoris mutationes non neget, eas parvas fuisse putat, et quæstum detrimento superiorem fuisse, insulis tamen *Halligen* dictis exceptis. (Hansen,

ejusmodi eventus dilucidandos parum valent, et rarissime illa ratione verba geographi nostri enucleare possis. Rectius animadvertes Adamum ubique insulas posuisse, quia apud antiquos scriptores Scandiæ terræ hanc imaginem præbent, et in insulas discerpuntur, ut videre est et in mappis Ptolemæi codicibus additis. Adde quod, ut notavit *Giesebrecht*, populi *Magog* hi sunt *qui habitant in insulis*[1]. Demum, in loquendi modo a navigatoribus XI[i] seculi usurpato, voci *insulæ* significationem minus certam ac definitam quam apud nos fuisse satis constat[2]. His aliisque rationibus si vocis *insulæ* sensum satis indefinitum admittas, Adami scientiam a plurimis erroribus, iisque explanatu non facillimis, vindicare possis.

Giesebrecht, quamvis eam in rem eruditorum animos merito converterit, eodem modo verba *portus* et *ostium* latius patere negat, etsi *Lappenberg* optimas in contrariam partem rationes attulit[3]; quibus qui assentitur, ei textus adulterationes, ut credit *Giesebrecht*, aut littorum mutationes ut volunt alii, sæpius fingere minime necesse est.

Aquilonis tantum regiones describere cum in animo habuerit Adamus, nihil proinde ex eo de ceteris mundi partibus, quas investigare non intendebat, inquirere debemus. Insuper quousque et quam abunde meridiem versus se extenderit ejus scientia, plane non novimus. De Normannis autem eorumque expeditionibus scribens, quasdam regiones ad opus suum non pertinentes obiter nominat, aut earum historiam breviter attingit (I, 54). Terras Rheno finitimas

Die Halligen der Nordsee, *Peterm. Mitteil.*, 1893, p. 196. Traeger, *Die Halligen*, in *Kirchhoff's Forschungen*, 1892, t. VI, p. 227).

1. Adamus ex Vita S. Anskarii locum excerpsit quo dicitur « provintiam Danorum totam fere in insulas esse dispertitam ». Qui etiam locus instigante theologia fuerat scriptus (Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 154, et Murray, *Commentatio prior*, p. 134).

2. Insulæ videntur esse omnes regiones ad quas mari appellitur, quæ *ultra mare* sitæ sunt. Vox *Insula* in *Sagas* et aliis nordicis testimoniis, quorum geographica lingua sat copiosa et varia, terram omnino aquis circumdatam non semper significat. Cf Giesebrecht, *Wend. Gesch.*, I, p. 245. Ita apud Alfredum, *Blekingia* insula dicta est (Forster, *Hist. des découv. dans le Nord*, trad. fr., 1788, I, p. 119.)

3. Lappenberg, *Archiv*, VI, p. 867. Fluminum ostiorum designatio apud auctores medii ævi certo latius patet quam apud nos, quandoquidem mercatorii portus in terris valde remoti erant.

vix cognitas habuisse videtur, quippe qui Trajectum ad Rhenum cum Trajecto ad Mosam confundat (I, 40). Galliarum flumina nominat, quæ Normannis ad interiora regni diripienda iter aperiebant, videlicet Rhenum, Mosellam, Scaldim (I, 41), Ligerim ac Sequanam (I, 30). Peregrinationum meminit Romam usque (III, 7, 8, schol. 73) item Constantinopolim (III, 12 et 31) et Hierosolymam (Schol. 41 ; III, 20 et 70) ; quod quidem orientem versus extremum iter memoratur. Plurimum vero conferunt scholia de Normannorum sedibus in Apulia (schol. 41), de peregrinationis ad urbem Hierosolymam spatio (schol. 58), et itinere (schol. 96) ; quæ cum codici 6 desint, et in codice 4 tantum reperiantur, non Adamo ipso, sed scriptori cuidam ignoto XII[i] seculi sunt tribuenda, et Adami *Gestis* serius fuerunt inserta[1].

Sed ad regiones Aquilonis redeamus. Saxonia, quæ Adami imaginum et notionum quasi umbilicus dici potest, Germaniæ pars est. Juxta Martiani Solinique opinionem, totum a Germania ad Persidem Parthiamque interjectum spatium Scythia tenet[2].

Totam orientalem Europam Adamus Scythiæ nomine designat[3]. Danos, Suedos, Norvegios, Slavos, æque in Scytharum numerum reponit : « Ad Bircam, ait, solent omnes Danorum vel Normannorum, itemque Slavorum ac Semborum naves, *aliique Scithiæ populi* convenire » (I, 62). Bircæ in Suedia episcopus moriens, in Scythia mortuus esse dicitur (I, 62, 64), item Scythia usque ad Græcorum imperium extenditur : « Haroldus... Constantinopolim exsul, multa prælia contra *Scitas* in terra gessit » (III, 12). Scythia in

1. Schol. 96 iter describit peregrini a Ripa in Dania ad Hierosolymam, per *Narvere* aut *Nioervasund*, scilicet per maris fretum apud *Gibraltar*. Hæc est notissima via *Vestrvegr* dicta seu occidentalis apud *Sagas* via, quam Scandinavii peregrini frequentaverunt. Cf. Navigationem ex Dania per mare Occidentale Orientem versus circa 1270, apud Langebeck, *Script. rer. danic. medii ævi*, t. V, p. 341 et 622. Riant, *op. cit.*, p. 72. Vide etiam mappas hujus itineris apud *Spruner* et *du Chaillu*.

2. Solin., XII-1 (p. 87), XLIX, 6 (p. 200). Martian., cap 618 et 693. Cf. L. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 146 sqq.

3. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 155. *Scythia* inscribitur littus russicum Baltici maris in mappa anglo-saxonica X[i] sæculi. Eo tempore Græci populos orientem et septentrionem versus sitos *Scythas* appellabant (*Chronique de Nestor, traduction Léger*, p. 8, 9, 367). Cf. Hamy, *Origines de la cartographie de l'Europe septentrionale*, p. 396. Apud Adamum autem verbi significatio latius adhuc vagatur, nec solos Russos, ut credit Steenstrup (p. 69), sed Europæ orientalem partem integram designat.

tres partes, christianam silicet, paganam, græcamque est distributa, quam distributionem Adamo maxime solitam in mente semper illum habere necesse est, qui plenam auctoris intelligentiam adipisci voluerit. Sed quænam inter Scythiæ gentes de quibus Martianus et Solinus scripserunt ad christianam religionem transierunt? Scandinaviæ populos eosdem esse atque Hyperboreos apud veteres Adamus credens, Gothos[1] cum Getis, Danos cum Dacis, in unum confundit. Suedi vero non alii sunt quam Suevi, qui, juxta Solinum et Orosium, maximam Germaniæ partem occupant, et quorum terra montibus aspera procul in Scythiam usque ad Riphæos sese extendit.

Christianis Barbaros, paganos videlicet simul ac Græcos, noster opponit. In his nonnulla quidem sacris libris mutuatus est : Ecclesiæ enim Patres[2] in Scythia populum *Magog* collocant, Ezechielem secuti, cujus celeberrima verba citat Adamus (I, 28) : « Et mittam, inquit Dominus, ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter. » Hanc prophetiam jampridem Gothis qui Romam ceperunt accommodatam fuisse non ignorat Adamus; verum cum Gothos in Suedia reperiat, et regionem illam « in insulas dispertitam » esse videat, Ezechielis prophetiam tunc tantum adimpleri credit[3]. Etenim post mille annos Gog et Magog seducendos esse et contra gentem sanctorum sævituros putat : quod periculum tunc maxime urgere videbatur. Millesimus annus tamen, ut ait, *feliciter* impletus est : sed vix a Suedia seductio illa arceri potuit quam recenter ad Christum conversis attulerat episcopus quidam

1. Quæ omnia satis vulgata apud Isidorum jam adsunt, in Dudone l. I reperiuntur et ab uno scriptore ad alium usque ad medii ævi finem traduntur. Certe a falsa etymologia originem trahunt, sed, ut infra videbitur de Baltici maris figura, Scandinaviorum cum Oriente commercium per Russiæ planos et æquos campos in rationes referendum, ut dixit Steenstrup, *Études prélimin.*, p. 97.

2. S. Hieronymus in primis (Migne, t. 23, p. 950).

3. Cf. Gallois, *Géographes allemands de la Renaissance*, p. 147. Peschel, *Der Ursprung einiger geogr. Mythen im Mittelalter* (*Abhandl. f. Erd-u. Völkerkunde*, t. I). Marinelli, *La Geografia e i padri della Chiesa*, p. 20 sqq. Erroris origo in falsa, ut semper, etymologia quærenda. Apud Rabanum Maurum (*De Universo*, lib. XII, cap. 4) legitur : Scythia sicut Gotta a Magog, filio Jafet, fertur cognominata : cujus terra olim ingens fuit. Nam ab oriente Indiæ, a septentrione per paludes Meotides, inter Danubium et Oceanum usque Germaniae fines porrigebatur. Cf. Wackernagel, *Geographie des Mittelalters* in *Zeitschr. f. Alterthumskunde*, t. IV, p. 479.

acephalus, seu, ut credimus, e monophysitarum secta. Aliud periculum evanuit post mortuum Haraldum Hardradum, Ecclesiæ tyrannum, qui cum apud Græcos sedecim annos remansisset, eorum mores ritusque adhibuerat. Sed elapso mille annorum intervallo, prophetia de Magog qualibet die adimpleri potest. Jam enim incepit a fide recessio, Slavi ad idolorum cultum reversi sunt, Hammaburg civitas diruta; Bremæ etiam id temporis verbum prophetæ impletur. — Eosdem autem Græcos, quorum mores non minus quam Barbarorum a christiana fide discedunt, et quos a magicis vel auguribus consilium petere compertum habebat, auctores esse seductionis in Magog minime dubitare poterat Adamus. Quas quidem opiniones de regionibus Aquilonis eorumque incolis sibi finxerat, eæ non parvi momenti in descriptionibus ipsi fuerunt. *Græciam* enim non modo regiones ad Græcorum ditionem pertinentes, verum etiam omnes græcæ religioni addictas interpretatur, ut et Russiam, quæ christianam fidem a Byzantio acceperat[1].

Ex hoc Adamus quam formam Baltico mari tribuerit melius percipiemus[2]. Concilianda hic erant Martiani Einhardique commenta cum temporis sui notionibus : quæ cum revera non cohærerent et secum pugnarent, nec Adamum difficultas omnino latuerit, haud sine aliqua dubitatione eruditioni potius quam experientiæ adhærere statuit.

Asserebat Martianus Capella[3] Mæotidem Paludem quarti sinus Europæ, ad Hellespontum incipientis, limitem esse, atque Oceani septentrionalis sinum haberi : quod, ut credebant, Augusti fictæ et fabulosæ navigationes probaverant. Insuper, juxta Einhardum, sinus quidam ingentis longitudinis, Balticum videlicet mare, ad orientem protendebatur. Quem eumdem esse putavit noster ac Mæotidem Paludem a Martiano descriptam, et ab eo Scythiam circumdari.

Variis appellationibus hoc mare vocat Adamus, cui Einhardus

1. Quod jam animadverterat Murray, *Commentatio*, p. 141-142 et 165.
2. Giesebrecht, *Nordlanskunde*, p. 148 sqq. Marinelli, *Padri della Chiesa*, p. 9.
3. Martianus, cap. 618 et præsertim cap. 661 sqq.: De quarto sinu Europæ (p. 226). Cf. Solinum, XII (p. 87).

nullum imposuerat nomen (schol. 115, et IV, 10) : « Mare orientale, inquit, sive mare Barbarum, sive mare Scithicum vel mare Balticum unum et idem est mare, quod Martianus et antiqui Romani (scilicet Orosius, Virgilius) Scithicas vel Mæoticas paludes, sive deserta Getarum, aut Scithicum littus appellant. » Sed alio loco (IV, 20), non tam firme asseverat : « De sinu Baltico *nullam mentionem audivi quempiam fecisse doctorum, nisi solum Einhardum.* Et *fortasse* mutatis nominibus arbitror illud fretum ab antiquis vocari paludes Scithicas. »

Einhardi autem locum integrum excerpsit Adamus (II, 16) : « De cujus freti natura breviter in gestis Karoli meminit Einhardus, cum de bello diceret Slavanico (*Vita Karol.*, cap. XII) : « Sinus, ait, quidam ab occidentali Oceano versus orientem porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis vero, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. » Hujus loci iterum meminit noster (IV, 10, 11) quem longiori commentario exornat : « Explanationis more utor, ait, ea quæ ille per compendium dixit pleniori calamo nostris scienda proponens. » Sinus *Balticus* [1] vocatur (quæ vox ab Adamo primum fuit usitata), quia tanquam *balteus* in immensum extensus per Scythicas regiones usque in Græciam porrigitur, idemque *mare Barbarum* aut *pelagus Scythicum* nominatur, propter barbaras quas alluit nationes [2].

Hujus maris latitudo ea est quam dixit Einhardus, scilicet quæ nusquam centum millia passuum (circiter XX millia germanica) excedat. « In multis locis sinus contractior : cujus ab Oceano tam strictus invenitur introitus, ut facili saltu per noctem carbasa trajiciantur. Idem pontus limitem Danorum egressus late brachia tendit, quæ denuo contrahit e regione Gothorum. Deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur. »

Quæ sit autem longitudo illius sinus Baltici? « *Quantitatem* ejus, ut ait, perscrutari tentaverunt Danus Ganuz Wolf et Haraldus rex, sed frustra ; nam ventis fracti victique redierunt, quod verba

1. Murray, *Commentatio*, II, p. 132.
2. Quod nomen *Mare Barbarum sive scythicum* usque ad XV^{um} seculum de Baltico mari usurpatur. Cf. Hamy, *Origines de la cartographie de l'Europe septentrionale*, p. 396.

Einhardi : *sinum longitudinis incompertæ* plane confirmat. Attamen Dani Adamo affirmarunt « longitudinem hujus ponti *sæpe a pluribus expertam* fuisse, et secundo flatu per mensem aliquos a Dania pervenisse in Ostrogard Russiæ » ; quas sententias inter se satis discrepantes in eodem libri capitulo (IV, 11) invenimus.

Circa Balticum sinum deinde populos a se descriptos ordine disponit Adamus (II, 16 ; IV, 12, 13 et 14). Primi omnium Dani ad australem oram, Saxoniam versus, usque ad Sliam lacum habitant; post Slavi ad Hammaburgensis parrochiæ ditionem pertinentes, usque ad Panim flumen ; inde Wilzi et Leuticii sedes habent usque ad Oddaram flumen ; trans Oddaram autem Pomerani, Polonique et Ruzzi. « Ruzziæ regnum ultima et maxima Winulorum provincia est, quæ et finem facit illius sinus. » At vero a parte aquilonali revertentibus ad ostium Baltici freti primi occurrunt Normanni, deinde Sconia prominet, Danorum regio, et supra Gothi usque ad Bircam habitant ; postea regnant Sueones usque ad terram Feminarum ; ultra Amazones, Wizzi, Lami, Scuti, Turci, habitare feruntur usque ad Ruzziam in qua denuo finem habet ille sinus. Et dicta concinne resumit Adamus : « Itaque latera illius ponti ab austro Slavi, ab aquilone Suedi possederunt. »

Observat tamen Adamus Balticum sinum ita undique terris cingi, statimque addit (IV 15) : « Asserunt etiam periti locorum a Sueonia terrestri via permeasse quosdam usque in Græciam. Sed barbaræ gentes, quæ in medio sunt, hoc iter impediunt ; propterea *navibus temptatur periculum* ». Quem locum sæpe afferunt qui de Adamo scripserunt auctores et commentatores, ut comprobent Balticum mare ab eo usque ad Pontum Euxinum extensum fuisse, quod, ut credimus, ex ejus verbis non plane deducitur. Siquidem hic singulas regiones græcæ religioni inservientes *Græciam* vocari concedas, nihil nisi veritati consonum dixit Adamus ; terrestrem enim viam a Suedia in Græciam sibi finxit, et, hoc loco saltem, Scandinaviam peninsulam esse non negavit. Quod maritimum iter terrestri anteponatur, nihil verius esse facile explanatur : a Birca enim in Russiam per mare tenditur potius quam per finnicas regiones sinui Bothniæ conterminas.

Ultimum denique superest caput, cui non satis attenderunt scrip-

tores[1] de Adamo geographo disserentes. Etiam si admittas *Græciam* imperium Græcorum indicare, et viam *per aquam* ab illo imperio in Balticum mare aucere, non inde sequitur Adamum errorem duntaxat e veteribus auctoribus hausisse, sed potius ad eum aliquid pervenisse ex dictis Danorum naves per flumina ad Orientem transvehi posse asserentium. Quam fluminum viam cum sæpius frequentarent Normanni[2], ideo dicere potuit noster : *Navibus itur in Græciam.* Fateor tamen Mæotidis paludis mentionem et datum Einhardo suffragium gravius argumentum afferre, et minus perplexe significare Adamum falsam aut saltem perobscuram de illa inter maria communicatione sententiam in mente habuisse[3].

Utcumque res sit, quam sibi finxerit imaginem, quam sibi contexuerit ideam Adamus de Baltico sinu et circumvicinis regionibus, paucis resumamus. Mediocrem latitudinem huic mari tribuit *ab austro ad septentrionem,* longitudinem vero incompertam aut male compertam *ab occidente ad orientem.* Septentrionales oras Scandinavii, meridionales Slavi habitant. Scandinaviæ vero figura ita deformatur, ut Baltici maris littus Adamo ab occidente in orientem extensum videatur, cum revera aliam omnino imaginem præbeat. Ex quo fit ut Birca *contra* civitatem Iumnem sit collocata (IV, 20). Regionum autem Baltico mari ad meridiem circumjacentium linea-

1. Excepto tamen Possart in *Lüdde's Zeitschr. f. vergl. Erdk.*, IV, p. 291.

2. Quæ fluviatilis via nihil aliud est nisi *Austrvegr* seu *Varingaverg* nordicorum fontium. Nevam sequebantur, Ladogam lacum trajiciebant, postea seu per Volgam et Tanaim, seu per Volkow rivum, Ilmen lacum, Lovat et Dnieprum flumina subvehebantur. A Lovat ad Dnieprum naves dissolvebant et portabant. Quod itinerarium apud Nestorem pro septentrionali parte, apud Constantinum Porphyrogenetem pro meridionali descriptum invenies : « L'habitude scandinave du portage, inquit *Riant* (p. 17 et p. 62-70), rendait très réelle la communication entre la Baltique et la mer Noire. » — « Par ses immenses plaines et ses fleuves immenses, inquit *Leger* (*Russes et Slaves*, p. 17. sqq.), la *Russie met la Baltique en communication avec la mer Noire.* » « Cette idée des peuples du moyen âge, que l'Europe était une île immense dont les rives de l'est étaient baignées par un détroit long et resserré, s'étendant de la mer Noire à la Baltique, devint presque une réalité pour les Normands. » *Steenstrup* (*Études prélimin.*, p. 11.)

3. Cf. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 149. Id. *Wendische Geschichten*, p. 9. Dietrich, p. 201. Adamus Otheri et Wulfstani narrationes in Orosii translatione a rege Alfredo insertas prorsus ignoravit; sin aliter, Balticum mare clausum esse lucidius indicavisset. De Wulfstano et Othero, cf. V. de Saint-Martin, p. 225-229. Peschel, p. 88-89.

menta *in contrarium* vitiantur et adulterantur. Item *ad meridiem* Saxoniam Rheno, Slaviam Albi terminari noster putat.

Præter regiones Baltico mari confines, Adamus aliarum septentrionalium terrarum notionem habet. Balticum enim mare cum occidentali Oceano communicat, qui videtur a Romanis Britannicus nuncupatus (Ad., I, 2). Britannicum autem mare, quod quidem pars infiniti Oceani Adamo videtur, immensam habet longitudinem, quod ab austro ad aquilonem intelligas, cum alibi asserat « mare Britannicum, a Dania ad Angliam, flantibus euris, triduo vela pandendo trajectum fuisse » (II, 50) et alibi illius limites ex ceteris lateribus assignet : « A meridie, inquit, Fresos et partem Saxoniæ tangit; ab occasu Britanniam, ad orientem Danos et Nordmannos qui ultra Daniam, consistunt; ab aquilone vero insulas præterlabitur Orchadas; deinde infinitis orbem terræ spatiis ambit, sinistrorsum babens Hyberniam, dextrorsum vero Nordmanniæ scopulos (IV, 10). » Alibi « latitudo septentrionis quænam sit interpretatur : « Hoc est Daniam Suediam et Normanniam pertransiens, inde ad Orchadas extremumque orbis patriam Island attingere » (III, 70). Hibernia contra Norvegiam posita est, et (II,50) mare Britannicum a læva Orcadas habet, a dextra Frisiam.

Britannici maris pars septentrionalis « Oceanus caligans », dicitur, cujus præcipuæ insulæ sunt Thule, Gronland, Halagland et Vinland (IV, 10). Quæ ab Adamo insulæ in mari aperto et *ad septentrionem Norvegiæ* collocantur (IV, 36).

Nunc autem illæ deformationes et falsæ locorum posituræ unde originem ducant est quærendum. Certe, ex terræ rotunditate et inæquali, ut diximus, dierum longitudine, scriptores medii ævi, quemadmodum et veteres, climatum et zonarum scientiam inferebant, simulque septentrionales plagas inhabitabiles esse æstimabant. Quæ omnia apud Macrobium [1], Martianum Ca-

1. Macrob., I, 15.

pellam [1] et præsertim apud Bedam [2], qui climatum seriem ex Plinio refert, quamvis subobscure, reperiuntur. Hæc mundi idea, licet de ea expresse non meminerit, Adamum non præteriit. Hinc forsitan septentrionales regiones deformavit; Ptolemæi ex doctrina, etsi oblique et interpositis multis aliis, nonnihil ad eum defluxit. Neque vero satis est. Nam ex antiquis scriptoribus nonnullæ Adami delineationes et notiones nullo modo deduci possunt, et ex alio fonte oriri debent.

Nihil aliud, quod ad X[1] et XI[1] seculi mappas pertinet, ad nos pervenit, nisi informes et rudes illæ chartæ quæ *Radkarten* dicuntur [3]. An meliora Adamus manu tractaverit incertum remanet. Descriptarum a se regionum situm forsan tam accurate indicavit, ideo quod non ex tabulis, sed ex ipsa narratione cognoscendæ erant. Attamen adhuc supersunt regionum septentrionalium tabulæ seu in *portulanis*, seu in mundi tabulis quæ portulanis medii ævi usæ sunt. Figuræ quas septentrionalibus terris imposuit Adamus, tam Baltico sinui quam Daniæ, Norvegiæ, Britannicis insulis, Gronlandiæ, apud quosdam geographicarum tabularum fabricatores usque ad XVI[um] seculum inveniuntur. Quomodo illud factum sit, manifesto operæ pretium est attendere.

De regionum septentrionalium cartographia nemini plus debetur quam doctissimo viro *Nordenskiöld* [4], quo juvante, hæc, obscura satis, parum dilucidari possunt. Theobaldo *Fischer* [5] non placet portulanorum septentrionalem partem directis observationibus fulciri; potius credit, quod ad has regiones spectat, narrationes esse adhibitas quas meridionales nautæ ad Scaldis ostia ab hominibus Balticum mare cognoscentibus receperant. Sed sapientius et congruentius vir illustris *Nordenskiöld* [6] nonnullis signis, quæ

1. Martian. Capell., l. VIII.

2. Beda, *Natur. rer*, cap. 48, ex Plinio, *Hist. Nat.*, II, 70.

3. Quod ad *Radkarten* spectat, vide apud Peschel-Rüge, p. 100-103. H. Wüttke, *Ueber Erdkunde und Karten des Mittelalters*, Leipzig, 1853. Breusing, *Leitfaden durch das Wiegenalter der Kartographie*, 1883, 8°.

4. Nordenskiöld, *Studien u. Forschungen*, Leipzig, 1885. Id., *Fac-Simile Atlas* (Stockolm, 1889), p. 52-61 (*Extension of Ptolemy's Oikumene towards the north and northwest*). Id., *Bidrag till Nordens Aldsta Kartografi* (Stockolm, 1892).

5. Th. Fischer, *Sammlung mittelalterischer Welt-und Seekarten*, Venedig, Ongania, 1886, pp. 40 sqq.

6. Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*, p. 53. Cf. p. 46.

a seculo ad seculum iterum producuntur, eas tabulas ad nordici archetypi cujusdam fidem esse perfectas, paucis tantummodo immutatis, significari existimavit.

Magni ponderis sunt tabula Zamoiskiensis dicta [1], seu tabula regionum septentrionalium, e codice Ptolemæi seculi XV (c. 1467) in bibliotheca Zamoiskiensi Varsoviæ asservato, atque etiam tabula dicta codicis Bruxellensis [2], et tabula Ptolemæi [3] Ulmiæ 1482; quæ scandinavium portulanum adhibuisse videntur.

Non aliter tres tabulæ in collectione *Bidrag* [4] dicta editæ, quæ Zamoiskiensem tabulam quasi cognatione contingunt, et quas jam anno 1890 *von Wieser* descripserat [5]. Christ. Ensenii præsertim tabula [6] fere una et eadem est ac Zamoiskiensis tabula; in qua hæc legitur mentio: « Livonia noviter per prutenos fratres ad Christi fidem conversa se extendit ad boream. » Quam notationem XIII° seculo scriptam esse manifestum est [7]. Tabula denique Ptolemæi Nanceiensis 1427, Claudii Clavi dicta [8], etiam pro parte a tabulis nordicis, forsan XIII° seculo ineunte delineatis, originem trahere videtur [9]. Hoc igitur, quod magni interest, asseverari potest: in septentrionali Europa tabulas accuratissimas eo tempore fuisse fabricatas, a quo, si Italianorum et Catalanorum portulanos excipias, illepidæ tantum et crassæ mappæ *Radkarten* et *Routenkarten* dictæ ad nos pervenere [10].

1. A *Nordenskiöld* detecta et ab eo edita in *Fac-Simile Atlas*, pl. XXX.

2. E Ptolemæi codice circa 1480 scripto, et in regia bibliotheca Bruxellensi servato. Quam tabulum edidit Ch. Ruelens, *Les monuments de la géographie des bibliothèques de Belgique*, Bruxelles, 1887.

3. Edidit Nordenskiöld in *Trois cartes précolombiennes représentant une partie de l'Amérique*, Stockolm, 1883. Hæc est prima Scandinaviæ in ære incisa tabula.

4. *Bidrag, till Nordens äldsta Kartografi*, n°s 1, 2, 3.

5. *Peterm. Mitteil.*, 1890, p. 270.

6. *Bidrag*, n° 2 : *Karta öfner Skandinavien och Grönland.* Ex codice Christ. Ensenii (aut potius Christ. Bondelmonti) : *Descriptio Cicladum aliarumque insularum* in bibliotheca Laurentiana Florentiæ (Plut. XXIX, Cod. 25, XV° s.)

7. Livoniorum conversio inter annos 1200 et 1327 effecta est (von Wieser, *Peterm. Mitteil.*, 1890, p. 275).

8. Cf. Waitz, *Nordalbingische Studien*, I, Kiel, 1844, p. 175. Nordenskiöld, *Studien und Forschungen.*

9. Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*, p. 54-55.

10. Von Wieser, *Peterm. Mitteil.*, 1890, p. 276.

Quæ cum ita sint, *tres gradus in originibus nordicæ cartographiæ, etsi nubibus et caligine involutis, discernere et sejungere possumus : marinas tabulas a viris bussola utentibus fabricatas antecesserunt tabulæ nordicæ a nautis adhuc bussolæ prope ignaris delineatæ. Quibus ætate anteierunt portulani stricta vocis significatione, scilicet peripli* [1], quo tendant littora, qui sint portus, quæ spatia, quæ promontoria et sinus indicantes.

Qui peripli propemodum ad Adami tempus nos reducunt. In manibus enim nobis sunt [2] quædam fragmenta XII[1] et XIII[1] seculi periplorum in *Navigatione ex Dania per mare occidentale Orientem versus circa* 1270, in *Navigatione ex Dania per mare Balticum ad Esthoniam*, in Alberto Stadensi ad ann. 1152, in *Anonymo de profectione Danorum in terram sanctam circa* 1190.

Verisimillimum est Adami textus et scholia, præter scholion quod ad Hierosolymitanam viam spectat, ex ejusmodi periplis nonnulla cepisse. Sed quemadmodum et Adamus Ptolemæum tantum Martiano Capella intercedente percepit, sic etiam portulanos aut periplos per regem Suein duntaxat cognovit.

Duæ sunt apud Adamum quæ præcipuæ et primariæ dici possunt delineationes : scilicet Baltici sinus ab occidente ad orientem porrecti, et Gronlandiæ ad orientem Islandiæ, ad septentrionem autem Scandinaviæ collocatæ. Quænam tabulæ earum notionum priorem nobis præbeant si percontaberis, eas ipsas esse videbis quas a nordico archetypo oriri putavit doctus vir *Nordenskiöld;* inter quas in primis citare oportet *Dulcerti* [3]portulanum (1339); Catalanam[4] celeberrimam tabulam (1375)[5]; Andreæ Bianco tabulam (1436); Catalanam mappam XV[1] ineuntis seculi [6]; Freduci Anconitani [7] chartam (1497); Nicolai de Canerio (1502) tabulam[8], atque, ut

1. *Sailing-directory or book of courses* (Nordenskiöld).
2. Langebeck, t. V, p. 622, 672, 341.
3. Hamy, *Les Origines de la cartographie de l'Europe septentrionale* (*Bull. Géogr. Hist. et descr.*, 1888, p. 333) et Nordenskiold, *Fac-Simile Atlas*, p. 47.
4. Editam a Buchon et Tastu, *Notices et Extr. des ms.*, t. XIV, 1841, p. 1-152, etiam apud Santarem et Lelewel.
5. Th. Fischer, pl. XI. Santarem, Lelewel, *Atlas*.
6. Fischer, pl. XIII.
7. Santarem, *Atlas*.
8. Editam a L. Gallois, *Bull. Soc. Géogr. Lyon*, juillet 1890.

videtur, alios veteres portulanos in quibus nordicæ regiones ultra Scaldis ostia effictæ sunt. Cum tabulæ illæ depictæ fuerunt, vel potius illarum archetypa, Bothniæ sinum nondum investigaverant. Balticum igitur mare extenditur ab occidente ad orientem, quemadmodum et Scandinavia[1].

Quod ad alteram Adami falsam delineationem pertinet, scilicet Gronlandiæ posituram, eam plus minus in tabula codicis Bruxellensis, in tabulis [2] Ptolemæi Ulmiæ 1482 et 1507 supradictis, in aliis etiam invenimus. Nulla tabularum nobis notarum Adami ideam omnino exhibet, quod minime mirum est, cum tot annis et etiam seculis posteriores sint. Itaque prudentius est eas tabulas Adami libro juvante perpendere quam Adami librum tabulis juvantibus enucleare. Quæ tamen haud negligenda visa sunt.

Quibus edocti, Adami geographicas descriptiones intentius sequi et singula copiosius recensere debemus. Qui non solum *nuda nomina locorum* dedit, sed etiam nonnulla de soli natura, de frugibus, pecoribus aut feris scripsit; multa etiam quæ notarentur neutiquam indigna de incolis nos docuit; quæ sit eorum vita, quæ ipsis cum terra convenientia et quasi cognatio, quibus potissimum notis inter se differant. Non omittemus inquirere, etsi ejusmodi quæstiones haud semper expedire tentabimus, topographicis aut etymologicis de causis, quis sit locorum aut urbium situs, quoties illa ad geographiam pertinere videbuntur. Itaque primum de Saxonia et Slavania disseremus; deinde de Scandinaviæ regionibus; postremo autem de insulis Oceani.

1. Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*, p. 52-53.
2. Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*, p. 27 et 61.

PARS QUARTA

CAPUT PRIMUM

DE SAXONIA ET SLAVANIA.

Quanquam, ut supra diximus, Saxonia nulla Adamo terra notior esse debuit, de illa tamen regione, quemadmodum et de Slavania, pauca, et hæc quidem parum nova et insueta, nos docuit.

Adamus ab Einhardo didicit « Saxoniam partem non modicam esse Germaniæ, et ejus quæ a Francis incolitur (scilicet Franconia) duplum in lato habere, cum ei longitudine possit esse consimilis » (Ad., I, 1, ex *Vita Karol.*, cap. xv). Ex eodem sumpsit « Saxones a meridie quidem Francos et partem Thuringorum habere, a quibus alveo fluminis Unstrote dirimantur ; a septentrione vero Normannos habent, ab ortu solis Obodritos, ab occasu Frisos » (Ad. I, 5). Addit noster Saxoniæ formam trigonam videri, « ita ut primus angulus in austrum porrigatur usque ad Rhenum flumen, secundus vero inchoans a maritimis Hadelohe regionis, longo secus Albiam limite protendatur in orientem usque ad Salam fluvium, ubi tertius est angulus. Itaque ab angulo ad angulum iter trium dierum habetur, præter eam partem Saxoniæ quæ trans Albiam incolitur a Sorabis, infra autem a Nordalbingis » (I, 1).

Quod « Saxoniæ triangulum » memorat Peschel[1], ut ostendat Adamum regionum quarumdam imaginem mente satis apte concepisse, et forsan tabulis geographicis non omnino destitutum

1. Peschel, p. 101.

fuisse. Saxonia tamen non trianguli, sed quadrati formam potius refert, et, utcumque sit, minime triangulus æquis lateribus constans dici potest, ut apud Adamum. Insuper animadvertere oportet Saxoniæ lineamenta ab Adamo adulterari, et ad occidentem inclinari, cum Rhenum flumen *ad meridiem* hujus regionis collocet. Simili ratione nonnullas alias terras deformat.

Quod ad Saxoniæ magnitudinem attinet[1], duas, ut videtur, opiniones quasi juxta positas habemus, alteram Einhardi, scilicet Saxoniam stricto sensu sumptam, mari et fluminibus Albia, Sala et Unstrode ut terminis circumscriptam, alteram, scilicet Saxoniam latiore sensu, in qua Adamus Nordalbingos, quod non repugnat, et insuper Sorabos includit, quod eo difficilius intelligitur, quod Saxoniam Sala fluvio terminari paulo superius dixerit. Forsan id e schol. 19 explanari potest, ubi legitur : « Sorabi sunt Sclavi, qui campos inter Albiam et Salam interjacentes incolunt, suntque eis contermini fines Thuringorum ac Saxonum. *Ultra Aram fluvium alii Sorabi commorantur.* » Adamum in errorem inductum esse credas per illam « aliorum Soraborum » mentionem, qui ad aquilonem ultra Aram fluvium (in *Altmark*) commorantur, et quos apprime novisse potuit noster, si, ut fertur, Magdeburgum civitatem incoluit. Cujus erroris causa est Marca Sorabica, quæ reipsa ultra Salam extendebatur, et, præter *Altmark*, magnam Hartzii et Thuringiæ partem includebat. Attamen hosce Sorabos intra Salam et Albiam degentes Adamus in Saxonia sitos esse voluit, cum eos « trans Albiam supra » memoret. Sed falso, ut patet, cum Sorabi Saxoniam nusquam attigerint.

Frisiam a Saxonia disterminant palus quæ *Waplinga* dicitur (hodie flumen *Wapel*); in Wisaræ occidentalem ramum (hodie in sinum *die Jahde* mutato) confluens, et Wisaræ fauces. Frisiæ partem quæ ad Hammaburgensem parochiam pertinet a reliqua Frisia distrahit etiam palus *Emisgoe*, seu paludes Emisæ ostio circumfusæ[2].

Saxones Transalbani, scilicet ad septentrionem trans Albiam incolentes, in tres gentes dispertiuntur, nempe *Tedsmargoi* ad Ocea-

1. De Saxoniæ finibus, cf. Waitz, *Verfassungsgeschichte*, t. V, p. 156 sqq.
2. Giesebrecht, *Wendische Geschichten*, t. I, p. 108.

num, *Holcetæ*, quos Sturia flumen interfluit, denique *Sturmarii*, quos ab oriente Bilena fluvius et Albia alluunt (II, 15).

Limes autem Saxoniæ, qui ab Albiæ dextris ad mare orientale extenditur, Saxones Nordalbingos a Slavis dirimit. Quem limitem, a Carolo et ceteris imperatoribus præscriptum, minutatim describit Adamus, et insuper scholiis additur præcipuorum quibus disterminatur fluviorum cursus (II, 15 b). Qui Saxonum Slavorumque *limes* ab Albia incipiebat in urbis *Lauenburg* vicinia, et ad mare Balticum, circa civitatis hodie *Kiel* dictæ sinum, finem habebat, Delvundæ, Travennæ, Pluniæ lacus (*Plöner-See*) et Zwentinæ per saltum Isarnho cursum secutus. Conjecit *Asmussen*[1] hæc de limite Saxoniæ e veteri quadam tabula Bremæ asservata, in qua Saxonum Slavorumque termini fuissent inscripti, Adamum desumpsisse; quod minime verisimile est, cum illa nomina potius e veteri diplomate sint excerpta. Utrum limes Saxoniæ castris et vallis sit munitus, an tantum inter populos confinium fuerit, ab eis insuper sæpius transgressum, haud certum est. Quod ad hanc quæstionem attinet plurima obscuritate laborat, quæ Germanorum eruditorum elucubrationibus augetur potius quam dissipatur. Dubiæ res illæ sunt et ambiguæ, quarum enodatio tam ad historicam quam ad geographicam scientiam parvi refert[2].

Nordalbingiæ figura pariter ac Saxoniæ ab Adamo deformatur, cum juxta eum (II, 15) *ad meridiem* Albia flumine limitetur, ut Saxonia Rheno. Idem de Slavania dicendum est, cujus latitudinem ab Albia ad Balticum sinum, *id est ab aquilone ad austrum*, metitur, longitudine vero ab Hammaburgensi parrochia initium habente et orientem versus in immensum usque ad Græciam porrecta (II, 18).

Constat planam regionem, qualis est septentrionalis Germania, satis notam haberi posse, cum compertum est quo cursu et quor-

1. Asmussen, p. 42.
2. Inter multas de *limite Saxoniæ* dissertationes, v. Wedekind, *Noten zu einigen Geschichtsschreiber*, t. I, p. 1. Beyer, *Der limes Saxoniæ Karls des Grossen*, 1877. Jansen, *Poleographie der cimbrischen Halbinsel*, in *Kirchhoff's Forschungen*, t. I, p. 514 (1886), Gloy, *Beiträge zur Siedlung Nordalbingiens*, in *Kirchhoff's Forsch.*, t. VII, p. 318 (1893). cum limitis mappa. Bangert, *Die Sachsengrenze im Gebiete der Trave* (im *Jahresb. d. Gymnasiums in Oldesloe*, 1893), excerpta in *Peterm. L. B.*, 1893, nº 673.

sum delabantur ejus flumina. Ideo satis probatur Adami descriptio. Id modo notandum censemus, quod sæpe in ejus scriptis silvis et paludibus pluribus tunc temporis quam hodie regiones illæ abundare dicuntur, paludibus præcipue, provincias et gentes ab invicem ita dividentibus, ut ipsis montibus interdum tutius præsidium inde efficiatur[1].

« Saxonia, ait Adamus, excepto quod raris intumescit collibus, tota fere declivis in planitiem » (I, 1). Enimvero, præter montes qui nobis *Harz* dicuntur, nihil nisi colles in Saxonia reperias : at singulari mentione illi digni erant. Concinna ea vox est : « declivis in planitiem ». Ferax ubique solum esse (quod quidem facilius) asserit noster, pascuisque et silvis plurimis constare : majori quidem ad Salam et Rhenum flumina, prope Thuringiam, ubertate præditum : minori vero prope Frisiam, ubi paludosum sit, et ad Albiam fluvium, ubi aridum : quibus verbis hodierna *Lüneburger-Heide* clare designatur.

Addit Adamus multos amnes Saxoniam interfluere, quibus naves plurimæ circumferantur. Quorum maximus est Albis, quem quidem laudibus extulerunt Romani : « Cujus ortum ferunt trans Bohemiam (I, 2), in profundissimo saltu Marahorum » (II, 19). Idem « in occasum ruens, primo impetu Behemos alluit cum Sorabis, medio cursu paganos dirimit a Saxonia, novissimo alveo Hammaburgensem parrochiam scindens a Bremensi, victor oceanum ingreditur Britannicum. »

Visurgis in Thuringiæ saltu (*Thuringer-Wald*) oritur, quemadmodum et Sala : Visurgis vero mediam Saxoniam transiens, haud procul a Frisiis in mare devolvitur. Quartus (post Albim, Salam et Visurgim) amnis Emisa Saxoniam interfluit : qui in saltu Patherburnensi (*Teutoburger-Wald*) ortus, Westphalos a ceteris provin-

1. De quo quid observet Ratzel vide in *Anthropogeographie*, t. I, p. 185. Attamen, soli naturam in Hammaburgensi regione indicans, scribit Adamus : « Provincia Sturmariorum, in qua Hammaburg sita est, tota in planitiem campi descendit, ex ea parte, quæ Slavos attingit, neque mons, neque flumen est in medio, quod incolis munimentum præstet, absque silvis passim occurrentibus... Solus mons in ea regione prominet juxta Albiam, longo in occasum dorso protentus, quem incolæ Sollenberg vocant » (III, 25) (hodie *Bauersberg* dicitur hic collis, 91 *m.* altus). Neque Adamum latuit quam parum cum temporum illorum moribus et propugnationis modo tam plani agri congruerent.

ciæ populis dirimit, et per mediam Frisiam permanans, in oceanum Britannicum defertur. De Frisia sic habet schol. 3 : « Regio maritima, inviis inaccessa paludibus. » Haud aliis verbis scripserat Orosius, quibus etiam utitur Adamus (I, 1), sed de Saxonia ambo : existimavit scholiasta Saxoniam non jam inaccessam esse, et vocem ad Frisiam potius ascribendam.

Quas fruges ferat Saxonia non docet Adamus, vitem modo abesse monet : « Sola caret vini dulcedine, alia omnia fert usui necessaria. » A Saxonia fere omnino etiamnum abest vitis. Id vero cur notaverit Adamus, facile explicant qui eum a Misnia oriundum esse conjiciunt, qua quidem regione, ut probabilius, Adami tempore vitis colebatur, sicut novimus adhuc hodie fieri. Nec minus argute rem interpretantur complures alii, quos non fugit, ut asserit noster, vinum quo in ejus monasterio uti solerent ab extera regione fuisse advehendum[1].

De Saxonibus et eorum origine, moribus, religione, ea, nihil admodum addens, absolute refert noster quæ scripsit Einhardus (ex *Translatione S. Alexandri* sumpta).

Slavaniæ sicut et Saxoniæ spatium et fines in primis describit geographus noster : « Slavania igitur, inquit (II, 18), amplissima Germaniæ provincia, a Winulis incolitur, Albiam inter et Oddaram, et firmis undique saltuum vel fluminum terminis clauditur. » Adamum tamen non fugit neque natura, neque populorum vario genere, tam certos Slavaniæ terminos definitos fuisse et constitutos, cum ad orientem in infinitum extendatur. « Decies major esse fertur, ait, quam nostra Saxonia, præsertim si Boemiam et eos qui trans Oddaram sunt Polanos, quia nec habitu nec lingua discrepant, in partem adjeceris Sclavaniæ. Porrigitur in orientem, infinitis aucta spatiis, usque in Beguariam[2], Ungriam et Græciam ».

Ex toto Adami opere maximas regionis Slavorum descriptio controversias, præsertim inter clarissimos viros *Giesebrecht* et

1. Germani mercatores Scandinaviis vinum afferebant (*Heimskr.*, IV, p. 183).
2. Scilicet Bulgariam, non Bavariam ut putat Pertz, *Archiv*, III, p. 658.

Lappenberg, excitavit. Juxta *Giesebrecht*[1], Adamus Slavaniam affatim cognovit, at non ita codicum scribæ, quibus omnis generis flagitia exprobrat; Slavorum regio, ait ille, a defectione et negatione Adami temporibus excitata, diu omnino clausa et sine commerciis cum christianis gentibus permansit, ita ut errores ad eam spectantes, cum semel fuerint introducti, neque detegi neque removeri potuerint. Cui respondet *Lappenberg*[2] nos minime mirari debere Adamum de Slavis minus certa tradere, qui nondum vel recentissime christiani facti essent, et quorum lingua Saxonibus parum usitata esset, quam de Scandinaviis, quamvis ii longe remotiores fuerint. Atqui addit insuper *Lappenberg* Adami coævos non nomina tantum, sed etiam gentium Slavaniæ sedes ita percepisse, ut quod ad eos pertineret paucis expedire scriptori satis esset. Quas inter opiniones non cohærentes et sibi contrarias, unam aut alteram recipere necesse videtur.

Neuter illorum eruditorum virorum satis notavit[3] id quod maximi momenti in controversia esse debet, scilicet Slavaniæ descriptionem apud nostrum duabus constare partibus, una citra, altera trans Panim fluvium. Adamus vero (III, 18) Slavaniam *citeriorem*, seu Slavorum regionem ad Hammaburgensem parrochiam pertinentem, Slavaniæ *ulteriori* dilucidis verbis opponit. De regionibus citra Panim fusius disseruit; ultra fluvium illum e contrario pauca eaque obscuriora tradidit. Cum de regionibus ad Magdeburgum spectantibus adhuc satis multa noverit, de iis quæ a Rethariis oriuntur haud ita certus est (III, 21); ultra Oddaram autem notiones ejus ambiguæ omnino fiunt, ut videre est e verbis *comperimus*, *dicunt*, quibus utitur. Brema cum Iumne quidem commercia exercet; ad Ostrogard vero soli pervenire dicuntur Dani (IV, 11). Ceterum Adamus non modo de Slavaniæ pauciora quam de Scandinaviæ gentibus comperit, verum etiam de illis locutus minorem curam ea de causa adhibuit, quod ad ejus materiem non pertinerent.

Prima specie Adami auctoritas ex Helmoldi testimonio explorari

1. Cf. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 157-166, et *Baltische Studien*, t. VI, p. 192.
2. Lappenberg, *Archiv*, t. VI, p. 864.
3. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 188.

posse videtur, qui nostri nonnullas de Slavania notitias de verbo ad verbum excerpsit. Helmoldus enim Slavanicam terram incolens atque de Slavorum populis peculiariter et unice scribens, longe accuratius de illis disserere potuit. Quapropter *Giesebrecht* semper pro certo tenet Adami textum, qualem in manu habemus, corruptionis notam mereri, quoties apud Helmoldum non integre repetitur. Sed admitti potest Helmoldi codicem adulteratum aut truncatum fuisse, aut illum scriptorem plura, utpote inutilia vel supervacua, amputavisse. Nonnulla etiam forsan emendavit quæ Adami tempore satis veritati consona, sua autem ætate falsa facta erant.

Adamus Slavos inter Albiam et Oddaram *Winulos* nuncupat, eosque Vandalos esse reputat. Quæ Winulorum appellatio prima vice apud nostrum apparet, et nusquam posthac legitur, cum de *Winedis* [1] potius apud Einhardum ceterosque scriptores sermo sit. Verba vero *Sclavi* et *Winuli*, quorum utrique eamdem tribuit significationem, modo latiore sensu (II, 13, 19; IV, 13), modo strictiore (II, 40, 46, 69) Adamus sumit. Cum dicit (II, 24) : « Ecclesiæ in Sclavania ubique erectæ sunt » ; et : « Slavania in duodeviginti pagos est dispertita », de Slavania stricto sensu agitur, scilicet de Aldinburgensi diœcesi.

Slavorum vero seu Winulorum enumeratio longioribus commentariis non indiget. Unus est locus e siccioribus, ubi Adamus sæpissime « nuda nomina populorum » tantum profert. Quæ nomina pleraque apud Helmoldum reperire est, qui auctorem nostrum in assignandis cuique populo sedibus sequitur, ipse autem multa de eorum moribus et indole adjicit. Ex Helmoldo igitur Adamum locupletare magis quam emendare licet.

Ceterum Slavorum populorum distributione nihil obscurius et confusius, nihil variis apud scriptores appellationum formis investigatu difficilius. Illæ nominum mutationes non semper auctorum ignorantiæ vel negligentiæ sunt tribuendæ. Licet enim Slavi nomades non sint, neque sedes mutent, sed patriæ solo adhærere videantur, attamen populi post bellum excidium, aut fœdus, fœderisve solutio, gentium seriem omnino perturbare possunt.

1. Loci colliguntur apud Pertz, *Monum.*, t. I, p. 658, s. v. *Winedi.*

Nihil fere de his scire possumus, nec forsan gravissima est ea inscientia; quæ *L. Giesebrecht* [1] supplere tentavit, sed frustra plerumque.

Slavorum populi quam maxime ad occidentem vergentes et Transalbingis viciniores sunt *Wagri*, quorum civitas Aldinburg maritima[2]. Juxta Wagros Adamus insulam Fembre (hodie *Femern*) notat, quam ex Aldinburgo aspicere est. Deinde *Obodritos* nominat, quæ altera e duabus majoribus Winedorum nationibus apud Einhardum[3] et Widukindum erat, apud Adamum vero e pristino decore decidisse et in minorem gentem abiisse videntur[4]; eorum urbs caput Magnopolis seu Mecklemburg (Ad., III, 19, 50). Demum Saxoniæ viciniores (ad meridiem Obodritorum, cum Obroditi Wagrios ad occidentem habeant) *Polabingi*, quorum civitas Razzisburg. Ultra illos sunt *Lingones* (seu Ligones) (Ad., III, 19) et *Warnabi*[5].

Magis ad orientem consistunt *Chizzini* et *Circipani*, quos a *Tholosantibus* et *Rhetariis* sejungit flumen Panis, ad cujus ostium civitas Dimine. Hi quatuor populi, nempe Chizzini et Circipani citra Panim, Tholosantes et Rhetarii ultra fluvium illum, inter se fœdere junguntur; a semetipsis Wilzi dicuntur, a Germanis autem propter fortitudinem Leuticii[6]. Quorum prælia narrat noster, quæ ex nobili quodam Nordalbingo se audiisse refert (II, 18, schol. 17; III, 19 et 21, schol. 72). Potentissimi omnium sunt Retharii, quorum civitas celeberrima Rethra[7], idolatriæ sedes, ubi Joannes episco-

1. L. Giesebrecht, *Wendische Geschichten* (initio), I, p. 9 sqq. Cf. Lelewel, *Géographie du Moyen-Age*, t. III, p. 21.

2. Iidem sunt ac Waarii, qui a Widukindo (III, 68) memorantur, et tunc temporis cum Abodritis fœdere jungebantur.

3. *Annal.*, 798, 804.

4. Eos etiam Reregos noster appellat, procul dubio ab eorum civitate Reric, cujus meminit Einhardus (*Ann.*, 808-809).

5. Utrique Obodritorum et Wagriorum tribus esse videntur. Lingones seu Linones quidem, quorum IX° seculo fit mentio (*Ann. Fuld.*, 858, 877), deinde obruti, tunc rursus apparent.

6. Forsan, ut solet, a ridicula origine verba derivat Adamus, scilicet *Wilzi* a *Wild*, et *Leuticii* a *Löve*.

7. Rhetra, etsi metropolis Slavorum dicitur, non necessario magna civitas est. Illud templum in quodam inter Panim et Oddaram lacu situm esse verisimile est. A certiori indicatione prudentia dehortatur. Quin Rhetra unum et idem sit ac Thietmarii (VI, 17) *Riedegost*, haud dubium nobis videtur. Cf. Giesebrecht, *Nordlandskunde*,

pus senex, truncatis manibus ac pedibus, martyrio coronatus est. Quam Slavorum metropolim appellat (III, 50). Templum ibi Redigast dicatum describit : ad quod a civitate Hammaburg ferunt esse iter quatuor dierum[1].

Contra Wilzos posita cernitur insula quam Rani vel *Runi* possident, gens fortissima Slavorum; juxta schol. 117, Reune insula est Runorum vicina Iumne civitati. In alio loco (II, 19) videtur scriptor Runos ad ostium Panis collocare. Cujus populi, a Widukindo[2] primum memorati, nemo ante Adamum nobis sedes indicavit. Negat *Giesebrecht* Adamum Runos ad Panis fluvii ostium collocare potuisse, cum ibi jam Circipanos posuerit (II, 18 ; III, 19, 21, schol. 17) ; insuper, ait, Adamus (IV, 18) veras sedes, scilicet in insula Reune (nobis *Rügen*) illis tribuit. Auctoris autem nostri sententiæ haud sibi contrariæ videntur, et inter se convenire possunt. Quod ait Adamus : « *ubi et Runi habitant* », forsan significat Runos hanc regionem versus habitare. Insuper, quisquis Rügen insulæ situm observaverit, et freti angustiam perpenderit, Runorum coloniam aut etiam hujus populi partem oppositas terras incoluisse facile sibi persuadebit.

Inter Slavos quidem de nulla quam Rugiorum gente fusius latiusque nobis tradiderunt XII[i] seculi auctores. Adamus hæc tantum docet, eos solos inter Slavaniæ populos esse quibus præsit rex (schol. 117); hanc gentem potentissimam esse et numinum cultui maxime addictam; eorum insulam Rune, quemadmodum et insulam Fembre, piratis et latronibus crudelissimis esse confertam, qui nemini captivorum suorum parcunt (IV, 18). Posterioris seculi scriptores Rugios in infidelitate quidem perstantes, sed hospitibus indulgentes et rei mercatoriæ deditissimos esse dicunt. Forsan sacerdotibus tantum infensi, fausto mercatores animo excipiebant; forsan etiam Rugiorum mores in melius immutati

p. 167. Quandt (*Baltische Studien*, t. XXII, p. 214) Rhetram nihil aliud esse nisi Diminem asserit, quod defendi non potest.

1. E quatuor Wilzorum gentibus quorum nomina scribit Adamus, Circipani et Tholosantes jam X° seculo noti erant (*Ann. Sangall. maj.*, 955); Chizzini autem, si docto Giesebrecht id satis gratuito asserenti fidem præbeamus, Circipanorum pars erant ; Rhetarii vero sponte sua aut etiam inviti a magno Vulanorum populo (Widuk., III, 69-70) recesserunt, cujus potentiores tribus deinceps evanuerunt.

2. III, 54.

sunt, post immutatas piscatorum consuetudines, quibus effectum est ut quotannis, mense novembri, christiani mercatores e dissitis etiam regionibus advecti Rugiam insulam convenirent [1]. Ita Adami et Helmoldi parum discrepantes sententiæ ad unam possent reduci.

Alios etiam Slavorum populos Albiam inter et Oddaram novit Adamus ; at cum Hammaburgensis parrochiæ limites jam excedant, omnes recensere supervacuum putavit, et quorumdam tantum Brandenburgii populorum, scilicet Stoderanorum, Leubuzziorum et Doxanorum nomina profert [2]. Nihil amplius tradit, et adjicit : « cum multis aliis » ; prolixe autem populis ad sinistram Panis ripam degentibus immoratur, quippe qui ad Hammaburgensem diœcesim spectent et jam christiani sint : quos III-19, rursus enumerat quemadmodum et II-18.

Ultra Wilzorum terram Oddara, maximum Slavorum flumen, occurrit, quod cum Albia ab Adamo confertur : « Ut Albia noster, ait ille, Oddara flumen oritur in profundissimo saltu Marahorum, nec longis ab invicem spatiis, sed diverso currunt meatu. Alter enim, id est Albia, in occasum ruit, alter vero, id est Oddara, vergens in boream, transit per medios Winulorum populos, donec pertranseat usque ad Iumnem, ubi Pomeranos dividit a Wilzis » (II, 19).

Quod quidem libri caput (II,19) in quo Oddaræ fluminis descriptionem legere est, multis lucubrationibus illustravit Giesebrecht [3]. Præter Vulcani ollam de qua supra locuti sumus, plurima loci menda ex collatione cum Helmoldi I-2 deprehendisse se putavit. Nonnulla autem nunc minoris sunt momenti cum e recensione fuerint emendata ; alia caduca videntur et inania. Locus enim, qualis nunc restitutus, satis lucidus est. Quædam autem Helmoldum omisisse haud magni ponderis facimus, cum Helmoldi testimonio Annalistam

1. Helmold., II, 12.

2. Inter hos populos, Stoderani ab Hefeldiis ad Havellæ ripas degentibus secessisse existimantur ; X° enim seculo Heveldun et Storania eamdem significationem videntur habere (*Annal. Quedlinb.*, 997). Leubuzziorum autem et Doxanorum nomina tum primum apparent. Cf Helmold., I, 2, qui Adami locum refert, verbis parumper transpositis atque immutatis. Etiam id., I, 37.

3. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 157-174 ; id., *Wendische Geschichten*, t. II, p. 127.

Saxonem opponere possimus, qui quadraginta ante eum annis scripsit, et suspiciosa Adami loca exscribere non dubitat.

In Oddaræ igitur ostio sita est nobilissima civitas Iumne, de qua mirabilia narrat Adamus[1]. « A civitate Dimine, quæ ad ostium fluminis Panis est, parum distat; ab Hammaburg vel ab Albia flumine septimo die pervenitur ad Iumnem per terram; nam per mare navim ingredi oportet ab Sliaswig vel Aldinburg ut perveniatur ad Iumne. » (II, 19). Exinde etiam « per mare itur ad Semland provinciam, quam possident Pruzzi, et ad Ostrogard Russiæ, ad quam vela tendens quarto decimo die ascendes. » Trajectum ad Diminem « brevi remigio » fieri, ad Ostrogard vero « vela tendendo » expresse dixit noster.

At ubinam fuerit illa civitas Iumne ab Adamo sæpius commemorata adhuc dubium est et in ambiguo positum. In hac quæstione elucidanda multum insudarunt eruditi et archeologiæ periti viri. Helmodus (I, 2) illam civitatem, juxta optimam recensionem, Jumnetam vocat; quæ una et eadem ac Adami Iumne esse videtur[2], cujus situm alii apud *Swinemünde*, apud *Wollin* alii requirunt. Huic posteriori opinioni adhæremus, utpote quæ verisimilior videatur, licet rem asseverare non audeamus[3].

Ultra Oddaram obscuræ sunt magis atque magis geographi

1. Quibus legibus Saxones et Græci Iumne regantur Adamus nos edocet: quædam enim urbanæ sodalitates suis finibus exteros mercatores consistere sinebant, clientium magis quam civium instar: ita Iumne (Giesebrecht, *Wendische Geschichten*, t. I, p. 38. Cf. Jacob, *Nordisch-Baltische Handel der Araber*, p. 113.

2. Ex Jumneta, juxta Giesebrecht, vicissim Iumnetam, Ninivetam, Vinetam duxerunt; deinceps urbem Vinetam finxerunt, quæ non ut Iumne bello diruta, sed maris fluctibus hausta esset, et cujus ruinæ prope *Usedom* aspicerentur. Illæ autem commentitiæ ruinæ nihil aliud sunt nisi erratica saxa; Vineta, cujus campanæ sub mari sonant, urbis vana species est et simulacrum, quemadmodum et *Ys* civitas in Gallia (Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 169-170. Ersch u. Grüber, *Encyclopædie*, v° *Iumne* (t. 28, p. 410). Cf. A. Fécamp, *Le poème de Gudrun*, p. 162.

3. Lappenberg, Waitz, Daniel (IV, p. 184) putant de *Wollin* agi; Giesebrecht (*Nordlandskunde*, p. 170-174; *Wendische Geschischten*, t. I, p. 27) de *Swinemünde*. Juxta eum, Julinum, Iomsburg, prope Wollin erat, ad sinum dictum *Frische-Haff*. Cum Dimine ad Panim et Iomsburg ad Diewenow flumen essent, inde sequitur Iumnem ad Swinam fuisse. Sed alio loco (*Wendische Geschischten*, t. I, p. 205) Giesebrecht urbem Iumnem a Saxonis Julino non discernit. Wollin, Julinum et Vineta tria nomina sunt ejusdem urbis, inquit Schafarik (*Slawische Alterthümer*, II, 576). Sic etiam Robert Kemplin (*Baltische Studien*, t. XIII, p. 1), qui hanc urbem cum Wollin congruere arbitratur. In eamdem sententiam ivit Penck, *Das deutsche Reich.*, p. 573.

nostri notiones. Visulam nescit, cum hoc ipso nomine Visurgim (I, 2 et II, 78) designet quod Einhardus (*Vita Karol.*, cap. xv), priori tribuit.

Semland insula Ruzzorum et Polanorum provinciæ contermina est, quam Pruzzi incolunt. « Sembi vel Pruzzi, ait Adamus, homines sunt humanissimi, qui obviam tendunt his ad auxiliandum qui periclitantur in mari, vel qui a piratis infestantur. Aurum et argentum pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis... Et illi quidem.... pro laneis indumentis, quæ nos dicimus faldones[1], offerunt tam preciosos martures. Multa possent dici ex illis populis laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cujus prædicatores immaniter persecuntur. Usque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia sint communia nostris, solus prohibetur accessus lucorum et fontium, quos autumant pollui christianorum accessu. Carnes jumentorum pro cibo sumunt, quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur[2]. Homines cærulei, facie rubea, et criniti. Præterea inaccessi paludibus, nullum inter se dominum pati volunt » (Ad., IV, 18).

Nullum apud scriptores, præsertim si Wulfstani narrationem omittas, graviorem locum invenias ad primævos Lithuanorum Samlandiæ mores dignoscendos[3]. Nonnulla enim præcise et diligenter dicta, v. g. quod ad pellium commercium et commutationum modum pertinet[4]. Cum vero de bona eorum indole disserit, nihil aliud sibi voluisse videtur nisi corruptis Saxonum moribus incorruptam illorum vitam opponere. Qua scribendi ratione semper usi sunt cujusvis ætatis, recentioris etiam, rerum geographicarum scriptores. Quæ dissimilitudo et antithesis Tacito olim de Germanis scribenti, de Hyperboreis aliis, Adamo etiam in hoc veterum vestigiis insistenti, in animo erat. Eamdem notam in aliis ejusdem descriptionibus mox reperire est.

Ruzzia denique, « ultima vel maxima Winulorum provintia

1. De vestimento *faldo* seu *feldr* dicto, cf. Weinhold, p. 166.
2. Eadem Alfredus narrat de Esthlandiæ populis. Cf. Forster, gall. translat., 1788, t. I, p. 121. Jumentorum carnem edere paganorum mos habebatur (Snorro, *Heimskringla*, t. I, p. 143; II, 61; IV, 45).
3. Quem locum ex Adamo de verbo ad verbum excerpsit Helmoldus (I, 1).
4. Jacob, *Welche Handelsartikel die Araber*, etc., p. 19.

(IV, 13), a barbaris Danis vocatur Ostrogard (schol. 116), eo quod in oriente posita quasi hortus irriguus abundat omnibus bonis. Hæc etiam Chungard appellatur, eo quod ibi sedes Hunnorum primo fuit. Ad Ostrogard Ruzziæ vento secundo a Dania proficiscentes intra unius mensis spatium perveniunt (IV, 11). Ruzziæ autem metropolis civitas Chive (Kiew), æmula sceptri Constantinopolitani, clarissimum decus Græciæ » (II, 19).

Quædam scholia populorum Slavaniæ circumjacentium situm, ut a viris tabularum auxilio fere destitutis conscripta, satis opportune referunt : « Trans Oddaram, legitur in schol. 15, primi habitant Pomerani, deinde Polani, qui a latere habent hinc Pruzzos, inde Bohemos, ab oriente Ruzzos. »

CAPUT II

DE DANIA, SUEDIA ET NORVEGIA.

Regionum Scandinaviæ descriptio, ut apud Adamum reperitur, non tot et tantis controversiis locum reliquit, quam ea quæ ad Slavaniam spectat. Geographi nostri usque eo vestigia sequi contendimus, ubi non jam amplius documentis ore traditis, sed eruditorum nugis innititur.

« Provintia Danorum, ait Adamus, tota fere in insulas dispertita est (Ad., IV, 1)[1]. Hanc autem Daniam a Nordalbingiæ Saxonia flumen Egdore dirimit. » Ibi est imperii septentrionalis limes, cum Conradus cæsar regi Danorum Canuti Magno civitatem Sliaswig cum marcha quæ trans Egdoram est, in fœdus amicitiæ concesserit (Ad., II, 54). Nullo igitur modo inter se pugnant hæc verba : « Daniam a Nordalbingis flumen Egdore dirimit » (IV, 1) et illa : « Dani habitant usque ad Sliam lacum » (IV, 13). Regio enim inter Sliam et Egdoram, seu Marca Slesvica, germanicum erat territorium a Daniæ regibus possessum[2].

« Egdora fluvius oritur in profundissimo saltu Isarnho et descendit usque in oceanum Britannicum. » « Saltus ille, ut legimus in schol. 95, a stagno incipit Danorum quod Slia dicitur, et pertingit usque ad civitatem Slavorum quæ dicitur Liubicen (scilicet Lubek vetus) et flumen Travennam. » Magnam ergo Transalbingiæ partem occupabat[3].

1. Cf. Helmold., II, 13.
2. Rem fusius tractavit Waitz, *Nordalbingische Studien*, I, p. 1 (1844).
3. Quæ superest etiamnum inter Sliam et Egdoram silva, et vocatur *die Kropper-Heide*. Hæc regio, juxta Murray (*Commentatio*, t. I, p. 135) quam nobilia latifundia totam occupant, Danorum silva dicitur et quædam nemora, veteris saltus reliquias, adhuc servat. Ingentes silvæ, quæ XI° seculo totam orientalem Holsteini partem

Judlant (Ad., IV, 1) seu *Dania cismarina* (II, 3) quæ hoc nomine a *Dania transmarina*, danicas insulas et Sconiam complectente, discriminatur. « ab Egdore in boream longitudine protenditur, habens iter tridui, si in Funem insulam divertis; si vero a Sliaswig in Alaburg per directum viam metiris, quinque aut septem habes iter dierum. Hæc est strata Ottonis Cæsaris usque ad mare novissimum Wendile. » Etenim Otto Magnus usque ad regionem sinus quem *Lymfiord* dicimus ad aquilonem conterminam processit, quæ hodie *Vendsyssel* nominatur, de quo etiam Saxo[1] mentionem facit. Fretum insuper quod Daniam a Norvegia dirimit (Ad., II, 3)[2] in memoriam Ottonis victoriæ *Ottinsund* appellatur[3]. Ad Egdoram Jutlandia maxime patet; inde vero paulatim contrahitur, ut ad formam linguæ in regione Wendila desinat; illinc in Normanniam brevissimus est transitus.

Quanquam regionem Wendilam Adamus in Dania cismarina collocaverit, eamque Jutlandiæ extremam partem esse dixerit, alibi tamen (IV, 16) eam appellat insulam. Ex quo, ait *Giesebrecht*, apparet qualem in Adami mente vox *insula* significationem habuerit. Negat autem *Dietrich* verbo *insula* hic peninsulam designari, cum Wendila, Adami tempore, reipsa insula forsan fuerit; ferunt enim[4] isthmum ad occidentem Wendilæ mari Germanico exæstuante aliquando ruptum fuisse, quod non tum primum procul dubio accidit, ideoque jure præsumere possumus Wendilam ab incolis insulam dictam fuisse, etiam si ex intervallo angustus arenarum cumulus interjacuerit.

Jutlandiæ naturam ita concinniter describit Adamus ut a recentioribus aliter fieri non possit. « Ager ibi sterilis; præter loca flumini (Egdoræ) propinqua, omnia fere desertum videntur; terræ salsuginis et vastæ solitudinis. Porro cum omnis tractus Germaniæ profundis horreat saltibus, sola est Jutland ceteris horridior, quæ

contegebant, et Slavorum simul ac Danorum et Saxonum limitem faciebant, a Nordalbingis appellabantur *Isarnho*, a Danis autem *Iarnwith* (Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, V, p. 122).

1. L. X (edº Müller, I, p. 481).
2. Cf. Helmold, I, 9.
3. Murray, *Commentatio*, I, p. 143.
4. Daniel, III, p. 8. E. Reclus (*Europe scandinave*, p. 10), de pluribus disjunctionibus loquitur.

in terra fugitur propter inopiam fructuum, in mari vero propter infestationem pyratarum. Vix invenitur culta in aliquibus locis, vix humanæ habitationi opportuna » (IV, 1). Jam iisdem fere verbis de regionis ejusdem solitudine scribit Beda[1], quæ nobis aliquid reddunt fabularum ad saltum *Isarnho* pertinentium, terribilem et horrificam regionem[2].

« Sicubi vero brachia maris occurrunt, addit Adamus, ibi Jutlandia civitates habet maximas ». Ex qua quidem adnotatione quam vere geographus fuerit Adamus patet, siquidem loci natura quantum rebus gerendis et augendis mercibus faveat egregie ostendit[3]. Et ad exemplum proponit noster Sliaswig, Ripam, Aarhus, tres episcopatus in Jutlandia erectos. « Sliaswig, in portu maritimo (I, 27), quæ nunc Heidaba dicitur (I, 59; II, 3, 34), sita est ad Baltici maris brachium *Slia* dictum, a quo nomen duxit; ex eo portu naves emitti solent in Slavaniam vel in Suediam, vel ad Semlant usque in Græciam » (IV, 1)[4]. « Ripa civitas alio cingitur alveo qui ab Oceano influit, et per quem vela torquentur in Fresiam, aut certe in Angliam vel in Saxoniam. Aarhusan autem fretum quoddam a Fune dirimit brevissimum quod a Baltico mari ingrediens longis anfractibus inter Funem et Judlant protenditur in boream, usque ad eamdem civitatem Aarhusan a qua navigatur in Funem aut Selant, sive in Sconiam vel usque in Norvegiam » (IV, 1).

Terræ Jutlandiæ descriptiones quas apud Helmoldum[5], Saxonem Grammaticum[6] et Arnoldum[7] reperire est, notitiis ex Adamo desumptis non multum addunt. Arnoldus Amazonarum fabulam mirum in modum immutat, ut eas in Jutlandia collocet.

« Post insulam Wendilam ad ostium maris Baltici apparet Funis insula. Hæc regioni quæ Jutland dicitur adhæret, et brevis-

1. *Hist. Eccles.*, I, 15 (Migne, t. 95, p. 44).
2. Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, V, p. 122.
3. Penck, *Das deutsche Reich*, p. 491 : « Die Fördenküste ist wohl die vielgliedrigste Form des Flachlandgestades. » Ibid., p. 514. Cf. Gloy, *Beiträge zur Siedelungskunde Nordalbingiens* (*Kirchhoff's Forschungen*, t. VII, 1893, p. 275).
4. Juxta schol. 82, Sliasvig « civitas est Saxonum Transalbianorum quæ sita est in confinio Danici regni. » Cf. I, 59.
5. Helmold., I, 12.
6. Præf., p. 10, et Mülleri indicem s. v. *Jutia*.
7. *Chronic. Slav.*, III, 5.

simus est a Jutland in Funem transitus ex omni parte. Civitas ibi magna Odansue (*Odensee*); in freto quod Funem a terra opposita dirimit plures sunt parvulæ insulæ. Si per Judlant in Funem tenderis, *directam in septentrionem viam* habes. At vero per Funem transeunti ad Seland, oriens in faciem currit » (IV, 4).

Duo trajectus sunt in Seland, unus a Fune, alter ab Arhusan, pari uterque spatio distantes. Seland insula omnium maxima, in interiori sinu maris Baltici sita, longitudinem habet bidui, cum latitudo fere sit æqualis (IV, 5). Civitas ejus maxima Roschald *Rôskilde*), sedes regia Danorum. De Hafnia urbe silet noster; primus inter scriptores eam Saxo memorat[1]. Cum Jutlandia inops sit, Seeland est « opulentia frugum celeberrima. » « Aurum ibi plurimum est, quod raptu congeritur pyratarum quos Wichingos aut Ascomannos[2] appellant, et qui regi Danico tributum solvunt, ut liceat eis prædam exercere a barbaris (id est a paganis) qui circa hoc mare plurimi abundant » (IV, 6). Æquali spatio Seland a Fune vel Sconia distat, quo per noctem transitur; habetque ab occidente Judlant, civitatem Arhusan vel Alaburg et Wendilam, ab aquilone vero fretum Normanniæ (*Kattegat*); a meridie autem Funem prædictam et sinum Slavanicum; ab ortu respicit promontorium Sconiæ, ubi est civitas Lundona (*Lund*) (IV, 5).

Nunc autem si excogitare voluerimus quam formam et quam positionem Adamus tribus magnis Daniæ terris, scilicet Jutlandiæ, Funi et Selandiæ assignaverit, videbimus eum in his a Ptolemæi notionibus satis discrepare. Quas si novisset, Jutlandiæ extremam partem *ad dextram* torsisset; nihil tale apud nostrum reperies. De Funis autem insulæ positione, etsi interdum secum pugnet (IV, 1, 4, 5), eum tamen Funem et Selandiam, Funem præsertim, nimis versus septentrionem collocasse perspicuum

1. Propter metum a piratis incussum non Hafnia (*Copenhague*), sed Sliaswig civitas, in interiori secessu, ideoque nautis securior, tunc commercio pollebat. Ob eamdem rationem fretum *minor Belt* frequentius erat quam fretum *Sund*, latrociniis infestissimum. Serius ergo, nempe XIII° seculo, Hafnia, apud Saxonem *portus mercatorum* (*Kaupmannahöfn*) dicta, clarescere cœpit. Cf. Saxo, ed° Müller, p. 809, 810, 888.

2. Ascomanni (*Aschmänner*) nuncupabantur a magnis navibus *Ascus* dictis, quæ vel centum homines ferebant; naves autem a ligno (*Asch, Esche*, gallice *frêne*) quo ædificabantur nomen duxerant. Cf. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 126.

est. Quæ falsa delineatio in medii ævi tabulis adhuc reperitur, et ad Adamum de supradictis nordicis portulanis manasse videtur[1].

A Seland Sconia aspici potest; brevissimus trajectus est in Helsinpurgh (*Helsingborg*). Sconia est « pulcherrima visu Daniæ provincia[2], unde et dicitur (id est: Schonen a *schön*[3], juxta Adamum), armata viris, opulenta frugibus, divesque in mercibus, et nunc plena ecclesiis » (IV, 7). « Sconia, ut addit, est pars ultima Daniæ, fere insula : undique enim cincta est mari, præter unum terræ brachium, quod *ab oriente* continens Suconiam disterminat a Dania. Ubi sunt profundi saltus montesque asperrimi, per quos a Sconia in Gothiam necessario iter agitur »[4]. Unde intelligitur Scandinaviæ imaginem geographum nostrum deformare et torquere incepisse, sed alio prorsus modo quam cum de Germania et Slavania ageretur. Angustum terræ spatium Daniam (lege : Sconiam) a Suecia *ad orientem* separat, quod Smaland dicitur. Illic etiam Pleicanorum populi (IV, 8) meminit, a quo Blekingia nomen accepit[5].

Alias insuper addit insulas ad Daniam pertinentes, sive in mari Germanico, sive in Baltico sinu. Inter illas celebrior est Heiligland,

1. « L'ancien type ptoléméen incline fortement à droite l'extrémité de la presqu'île du Jutland. Les cartographes du xve siècle reviennent à ce type, dont s'étaient éloignés ceux qui se fondaient sur l'expérience. » (Hamy, *Orig. de la cartogr. de l'Eur. septentr.*, p. 404).

2. Revera ab antiquiori tempore culta et conterminis regionibus uberior videtur Sconia (Geijer, *Gesch. Schwedens*, t. I, p. 49. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 75).

3. Mansit illi Schondiæ nomen, quod amœnitatem, sive, ut verbum reddam, pulchritudinem significat (Jacobus Ziegler, *Schondia*, in *Soc. Suéd. d'Anthrop. et de Géogr.*, t. I (1878), n° 2, p. 4).

4. Illi asperrimi montes nihil aliud sunt nisi Samland, quæ non 380 metris altior est regio. Sed prærupta et confragosa loca erant, via propter paludes et silvas difficilis, ejusque impedimenta satis nota, cum per Sconiam *necessario iter ageret* qui terrenam peregrinationem a Gothia ad Sueciam faciebat.

5. Pressius loquitur Saxo (Præf., ed° Müller, p. 11) : « Hallandia et Blekingia ab integritate Sconiæ ceu rami duplices ex unius arboris stipite promeantes ». Giesebrecht (*Nordlandsk.*, p. 178) legere vult : « Sconia insula est, ultima *fere* pars Daniæ. » Nihil huic textus corruptioni suffragatur. Manifesto quidem in schol. 111, legimus : « Ab hac insula primi egressi sunt Langobardi vel Gothi. » Sed hic vox *insula* usurpatur a Solino, Paulo Diacono, Jordaneque de Scandia insula loquentibus. Murray (*Commentatio*, t. I, p. 148) fere credit Sconiam Adami tempore insulam fuisse, quod nullo modo defendi potest. Vetus Sconiæ nomen, juxta Geijer (*Gesch. Schwedens*, t. I, p. 49), *Skan-ey* = Skani insula, quod Adami Sconiæ insulæ congruit.

seu Farria[1], aliter Fosetisland vetustiori appellatione dicta (IV, 3, et schol. 104); quæ Frisiæ Wisaræque vicina, ab Anglia distat remigatione tridui. Hæc insula contra Hadeloam sita est (hodie *Hadeln*), ad meridiem Albiæ ostii. Cujus magnitudinem indicat Adamus, quod non parvi refert, cum hæc insula gravissimarum procellarum vi[2] multum feratur imminuta. Ejus longitudo, si Adamo credamus, XI° seculo vix ad octo milliaria pandebatur, ad quatuor latitudo. Erant et aliæ insulæ contra Fresiam et Daniam, sed nulla earum tam memorabilis[3] (IV, 3).

In sinu Baltico quindecim insulas ad Daniam pertinentes enumerat noster (IV, 16), quarum maximas jam antea specialiter descripserat. Juxta *Wendilam* supra memoratam, « in capite freti » sunt *Morse* et *Thud*, quarum prior in freto *Lymfiord*, posterior in *Thyland*, ad partem occidentalem Jutlandiæ septentrionalis, reperiuntur. Ex quo conjici posse videtur tunc temporis augustum illud terræ spatium, quo *Vensyssel* regio terræ vicinæ olim cohærebat, ruptum jam fuisse, cujus quidem rei de Wendila loquentes rationem inivimus. Hæc non concedit *Giesebrecht*, qui negat Thyland eo tempore insulam fuisse. Nominat deinde Adamus *Samse* (*Samsoë*), contra Arhusan, *Funem*, *Seland*. Verum quod adjicit : « Septima quæ illi adhæret et quarum supra mentionem fecimus », luce paululum indiget. Hæc enim septima insula frustra quæsita est. Forsan insulam esse credit aliquod ex promontoriis quæ Seelant ad septentrionem porrigit, aut *Sprogoe* intelligit, cujus mentionem facit schol. 107 ut « insulæ parvulæ inter Seland et Funem ». Giesebrecht vero hanc septimam insulam Sconiam esse putat, quod vix asseri potest.

1. Farria hodiernæ *Foehr* respondet, quæ una est insularum Frisonum. Quam Adamus cum Helgoland confundit.

2. Murray, I, p. 146. De insulæ Helgoland imminutione, cf. Wahnschaffe, *Die Ursachen der Oberflächengestaltung des norddeutschen Flachlandes* (*Kirchhoff's Forschungen*, t. VI (1891), p. 161. Wiebel, *Die Insel Helgoland* (Hamburg, 1848). F. G. Hahn, *Inselstudien* (Leipzig, 1888), p. 139-140.

3. Occidentale Daniæ littus haud penitus perspectum habuit noster. Falso ergo e silentio ejus arguunt illo tempore hanc Sliasvig partem insulasque adjacentes a Frisonibus septentrionalibus nondum occupatas fuisse. (Lauridsen, *Om Norfrisernes Invandring i Sönderjylland*, Hafniæ, 1893. De hoc vide quod retulit Hansen in *Peterm. L. B.*, 1893, n° 672).

Post hæc de *Hulmo* insula (*Bornholm*) loquitur, Sconiæ et Gothiæ proxima, in qua (IV, 8) degunt affines Gothis. Est Holmus celeberrimus Daniæ portus et fida statio navium, quæ ad barbaros et in Græciam dirigi solent. Denique, ut numerum quindecim impleat, septem alias insulas ab Euro Funi oppositas nominat, « hoc est *Moyland*, *Imbra*, *Falstra*, *Laland*, *Langland*, itemque alias omnes sibi vicinas, cum Laland interius vadat ad confinia Slavorum[1] » (IV, 16). Moyland hodiernæ *Moen* respondet, Falster autem, Laaland et Langeland eadem nomina usque retinent. De Imbra non item, nam in regione assignata, scilicet in confinio insularum Moen, Falster et Laaland, nulla reperitur insula quæ huic nomini respondeat. Opinatur quidem Lappenberg eam esse *Fehmern*, quæ in charta quadam XIV[i] seculi Imbria vocatur. Adamus non autme mIbram, sed Laland proximam esse dicit regioni Slavorum; et alibi (IV, 18) hodiernæ *Fehmarn* nomen *Fembra* tribuit. Quæ inter insulas sita est « quæ Slavis adjacent »; eorumque terræ vicinior est quam Laland, imo ejus pars esse videtur. Difficile est igitur, nisi Adamo plures inter se haud cohærentes sententias attribuere velis, Imbra eamdem insulam designari ac Fehmern. Forsitan Imbra nihil aliud est quam pars occidentalis insulæ Moen.

« Transeuntibus insulas Danorum, ait Adamus (IV, 21), alter mundus aperitur in Sueoniam vel Nordmanniam[2], quæ sunt duo latissima aquilonis regna et nostro orbi adhuc fere incognita. » Adami de his regionibus præcipuus testis, scilicet rex Suein, qui sub Jacobo rege duodecim annos illic militaverat, ipsi affirmavit « Nordmanniam vix transiri posse per mensem, cum Sueonia duobus mensibus non facile percurratur. » Quod præter Adami morem, putat Giesebrecht, manifesta amplificatione laborat. Sueonia

1. Ubi adhuc vitiatum fuisse textum putat Giesebrecht, cum Adamus, qui septem insularum mentionem fecit, quinque tantum nominet. At vero Adamus, postquam præcipuas expresse nominavit, de ceteris hoc tantum adjiciendum censuit : « Item aliæ omnes sibi vicinæ. » Quænam ergo reliquæ duæ fuerint, investigare inane et irritum arbitramur.

2. Giesebrecht, p. 180 sqq. Cf. Spruner, taf. 64.

enim antiqua intra 56 1/2 et 62um gradum latitudinis comprehenditur, ita ut quinque tantum gradibus et sesquigradu constet; præterea quantum inter se ambæ regiones vastitate differant haud melius quidem determinat. Observandum tamen, post Murray, has regiones continuis montibus et silvis impervias esse, ut ipse noster nos docuit; unde fit ut intra duorum mensium spatium a Sconia ad Sictonam transeatur, licet non plus quam sexaginta milliariis germanicis inter se distent.

Nordmannia autem (IV, 30) « ultima orbis provincia, a modernis dicitur Norguegia (Norveia, Norvegia) (Ad., II, 22 et 23)[1]. Ita dicitur, quia longitudine sua in extremam septentrionalis plagam extenditur. Incipit autem ex prominentibus scopulis Baltici freti, deinde reflexo in aquilonem dorso, postquam frementis Oceani marginem suo circuit ambitu, tandem in Riphæis montibus limitem facit, ubi et deficit orbis. Metropolis civitas Nortmannorum (IV, 32) est Trondemnis, ad quam istud iter est : ab Alaburg vel Wendila Danorum per diem mare transitur ad Wig[2] civitatem Nordmannorum; inde vela torquentur in lævam circa littora Norvegiæ, et quinta die pervenitur ad Trondemnem. Huc etiam iri potest per alteram viam, quæ ducit a Sconia Danorum terrestri itinere; sed hæc tardior in montanis, et quoniam plena periculo, declinatur a viatoribus. »

In Suedia, sicut et nos, Gothiam a Suedia proprie dicta discernit Adamus[3]. Hic Albim fluvium cognitum habet, qui in Alpibus oritur, perque medios Gothorum populos currit in Oceanum, unde

1. Vocem *Norvæg* Murray voci *Austurveg* opponit.

2. Scilicet sinum hodie *Wigen* dictum, prope Tönsberg, juxta Lappenberg. De *Vikur* in *Sagas* sæpissime fit mentio ; quo designatur Norvegiæ meridionale littus (Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 107). *Vik* significat hodiernæ *Christianiæ* sinum et regiones circumvicinas (Möbius, *Altnordisches Glossar*, Leipzig, 1866).

3. Ab antiquis temporibus Svealand et Gothaland, *Svithiod* et *Gauthiod* sunt discriminata. *Svithiod* initio regionem supra lacum Mälar, Suediæ monarchiæ incunabula, significat : postea extenditur verbum ad Suediam superiorem ut a Gothia discretam, denique totam Suediam amplectitur. Limes etiam fere idem remansit. Adamus tamen Gothiam nimis ad septentrionem dilatat et in ea Sudermaniam includit. Nonnulli auctores putant discriminis originem ex ethnographia esse ducendam, et populos aquilonis in duas præcipuas partes distribuunt, scilicet Dano-Gothi et Suedo-Norvegii. Sed geographia etiam nitendum est, cum palustris depressio quam designant lacus Wener, Wetter et Mälar terram *Götarike* a terra *Svearike* optime sejungat. Cf. Geijer, *Gesch. Schwedens*, I, p. 49, et Dehio, *Gesch. des Erzbisthums*, I, p. 54-58.

et Gothelba dicitur. Commentitia, ut solet, etymologia, fluvium a recentioribus *Götha-Elf* dictum eumdem quem Lucanus Albim nominat esse asserit (Ad., IV, 21, schol. 126). Haud dubie quidem eo tempore populorum limes habebatur « ingens fluvius Elf appellatus, qui in sua dextra parte Goutos admittit et Danos, in sinistra vero solos fertur generare Northmannos[1] ».

Inter Gothiæ populos proximi Daniæ sunt qui occidentales Gothi dicuntur (IV, 23). Westragothia enim confinis est Sconiæ, a qua fertur diebus septem perveniri usque ad magnam Gothorum civitatam Scaranc (II, 56) (hodie *Skaraborg*, in Gotlandia, non procul a lacu Wener)[2]. Inde Ostrogothia juxta Balticum mare protenditur usque ad Bircam.

« Birca in medio Sueoniæ posita contra civitatem Slavorum respicit Iumnem » : cum enim, ex sententia Adami, sinus Balticus ab occidente in orientem protendatur, Iumneque ad australem hujus oram sita sit, Birca necessario ad oram septentrionalem erat collocanda : « In quo loco (I, 62) sinus quidam Baltici maris ad boream vergens » (lege : ad occidentem), Bircæ portus non ad mare ipsum situs est. Tutissimum incolis refugium, sed valde periculosum incautis et ignaris. Bircæ igitur solent omnes Danorum vel Normannorum, itemque Slavorum ac Semborum naves aliique Scythiæ populi pro diversis commerciorum necessitatibus solemniter convenire. Ipsa Birca (IV, 20) paribus spatiis omnes Baltici ponti complectitur oras. A Sconia Danorum navigantibus ad Bircam (schol. 121) quinque dierum, a Birca in Ruzziam similiter per mare habes iter quinque dierum (IV, 28). Schol. 138 autem nos docet Bircam tunc in solitudinem esse redactam, ita ut civitatis vestigia vix appareant[3].

Duas præterea civitates prope Bircam memorat Adamus, Sictonam videlicet et Ubsolam. Prior aequali spatio ac Birca, « juxta

1. Anonymus de profectione Danorum in terram sanctam, cap. VIII (Langebeck, *Scriptores*, t. V, p. 350-351. Cf. *Heimskringla*, edº Schœning, III, p. 214).

2. Cf. *Skaram* in Catalanensem tabulam anni 1331 (Hamy, p. 383).

3. Birka ab Esthonibus piratis circa annum 1220 fuit diruta. De urbe Wisby et de insula Gotland silet Adamus. Wisby enim XIIº seculo tantum floruit, et in loco Bircæ viguit, quemadmodum et Hafnia post Sliaswig (Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 107. Murray, *Commentatio*, p. 166).

enim sunt », distat a Sconia, nempe quinque diebus navigationis; si vero per terram iter agatur, per Scaranem, Telgas et Bircam, completo mense ad Sictonam pervenitur (IV, 28). Ubsolam autem geographus noster quodam loco « a Sictona itinere diei unius (IV, 28) distantem » dicit, alio loco (IV, 26), « non longe ab ea distantem ».

Birca et Sictona civitates erant negotiationi deditæ, Ubsola vero civitas sancta reputabatur[1]. De quarum situ plurimæ sunt eruditorum contentiones. Nonnulli ea de re errores potuissent vitari, dummodo qualem Baltici maris figuram littorisque Suediæ ductum Adamus sibi finxerit eruditi prius cavissent[2]. Sictonæ situs, cujus nomen hodie etiam perstat, auxilium confert ad dignoscendum ubinam fuerit Birca, quæ ad austrum, non longe ergo ab urbe nobis *Stockholm* dicta quærenda est[3].

« Inter Nordmanniam et Sueoniam Wermilani et Finnedi degunt, christiani omnes, qui ad Scaranensem respiciunt ecclesiam » (IV, 24). Wermilani, quos Saxo[4] *Wermi* vocat, incolæ sunt regionis *Wermeland*, ad lacum Wener[5]. Finnedi vero (Finnheide, Finnwald) occidentalem partem provinciæ *Smaland* habitasse videntur, in regione Hallandiæ propinqua. In confinio Sueonum vel Normannorum contra boream habitant Scritefinni, quorum urbem caput Helsingland ad occidentalem sinus Bothniæ oram sitam esse dicit

1. Verbum *Birka* (a germ. voce *Birke* = betula) apud germanicos auctores tantummodo reperitur. Nordici fontes veterem et novam Sigtonam memorant, quarum una vel altera eadem ac Birca fuisse videtur. Upsala vetus Galmæ situm occupabat, ad septentrionem hodiernæ Ubsolæ. Certum est has veteres Suediæ civitates circa lacum Mœlar jacuisse, in regione geographicis conditionibus prædestinata.

2. In errorem manifestissimum lapsus est Dehio, qui Bircam Borgholm in Œland insula assimilat, ut contra Iumnem sit, in hoc parum intelligens quomodo Adamus Baltici sinus figuram torserit.

3. Forsan in lacu Mœlar, ubi insula *Björkö* murorum vestigia, tumulosque, ut dicunt, gigantum servat, antiqua Birca exstitit. Cf. Geijer, *Gesch. Schwedens*, I, p. 71. H. Hildebrand, *Schweden in der heidnischen Zeit*, trad. Mestorff, 1873, p. 15. Wattenbach, *Stockholm*, 1875, p. 18. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p 183. Murray, *Commentatio*, I, p. 157.

4. Saxo Gramm., V, p 242-243.

5. Cum inter Suediam et Norvegiam limes fluvio *Götha-Elf* et lacu *Wener* sit constitutus, inter utramque regionem tamen patet saltus asperrimus, quem gentes indomitæ incolunt. Wermelani valles lacui *Wener* vicinas et ipsius lacus ripas occupant (Geijer, *Gesch. Schvedens*, I, p. 52).

Saxo, qui ceterum multo accuratius de eorum regionibus locutus est [1].

Denique, ut solet, populorum a se memoratorum situm resumit geographus noster (IV, 25) : « Igitur Sueonia habet ab occidente Gothos et civitatem Scaranem, a borea Wermilanos cum Scritefinnis, *ab austro*, *longitudinem* habet Baltici maris, ubi civitas Sictona. Ab oriente autem Riphæos montes attingit. »

Sueciam et Norvegiam, hanc potissimum, montibus constare existimat Adamus : « Illæ regiones », ait (IV, 21), ipsamet regis Suein verba referens, « altissimis ambæ montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quæ suis alpibus circumdat Sueoniam. » Prærupta vero Norvegiæ littora his vocibus : « prominentibus scopulis » (IV, 30) indicat. Magis concinne, ut videtur, de sinibus vulgo *fiords* dictis scribere poterat : verum non sine laude quæ esset littoris natura indicavit.

Nunc vero de Scandiæ montibus notionem quamdam ex antiquis auctoribus deprompsit et excerpsit Adamus, videlicet Riphæos montes. Refert noster quæ accepit de Riphæis, « ubi nix perpetua durat »(schol. 132 ; IV, 25, 31), « ubi et lassus deficit orbis » (IV, 30). Ita enim ante illum Martianus (663, 666, 683), Solinus (cap. 15, 17, 30), Paulus Diaconus (I, cap. 5). Verum apud veteres Riphæi montes mere fabulosi erant, quos ad septentrionem Tanais circumcirca, ac minime definito loco, sitos esse credebant. Quos quidem quasi universam in septentrionali terræ regione prominentiam arbitrabantur ; neque enim alio modo qui medii ævi tempore planam esse terram putabant, solis occasum explicare in promptu habebant. Illud nonnulli ex sua de paradiso opinione conficiunt, quem trans Riphæos situm esse plurimi fingunt [3]. Posuisses Adamum, quem

1. Finnicæ gentes et Samoyedi in Suedia tunc temporis spatium latius quam hodie occupant, fere omnem videlicet interiorem regionem usque ad fluvium *Dal-Elf* (Geijer, *op. cit.* Cf. Peschel, p. 88, note 1).

2. Cf. *Heimskr.*, *Yglinga Saga*, cap. 28.

3. Kretschmer, *Physische Erdkunde*, p. 128 sqq. Santarem, *Essai sur la cosmographie du moyen âge*, index, sub v° *Ryphées*.

regionum Aquilonis veri et certi montes non latuere, Riphæos et Scandiæ Alpes in unum et idem redigere debuisse. Reque ipsa, quæ modo miscuerat (IV, 24, 31), ea modo sejungit et secernit, videlicet quando Riphæos sitos esse dicit non jam *contra Boream*, verum *ab oriente* Sueciæ et Norvegiæ (IV, 25 30), et præcipue cum scribit : « Montana (Suevorum) *usque ad Riphæos montes extendi* (IV, 21). Hoc enim in quibusdam de Germaniæ locis (cap. xx) innuebat Solinus. Præterea, necesse habebat Adamus Riphæos extendere usque ad ignotas sibi et suis coævis regiones, ubi Martiani et Solini fabulas tanquam sede propria locaret.

Atqui Hyperboreos a Riphæis nemo sejunxit. Hyperborei homines sunt felicissimi et sapientissimi, omnibus virtutibus præditi, nec ullo vitio inquinati; nulla re carentes quamvis labori non addicti; quid plura? is erat populus quem omnes poetæ et fabulatores illecebris certatim cumularent. De iis multa Solinus (cap. xvi), pauciora vero Marcianus (664) scripserunt. Adamo autem « Dani Suecique et reliqui Scythiæ populi inter Hyperboreos annumerandi sunt[1] » (IV, 12 et schol. 125). Prussi ad eosdem Scythiæ populos pertinent, quorum virtutes Horatius, ut credit noster, in lyricis suis ita meminit : « Campestres Scythæ melius vivunt, et rigidi Getæ » (schol. 118).

Quidquid ergo de Scandinaviæ gentibus narrat noster, nævo quodam laborare videtur : mentita illa auctorum antiquorum de Hyperboreis fabula non parum depravatur. Immerito tamen credas Normannorum mores apud Adamum fictionis notam semper præ se ferre; quemadmodum et supra de Riphæis, de maris æstu, de dierum longitudine, hic ea quæ experimento didicit, veterum, ut solet, historiis contexuit.

Attamen de Danorum moribus plura noverat noster quam ut ipsis nimium indulgeret. Quomodo enim Hyperboreorum laudes de iis etiam prædicare potuisset, quorum assueto commercio vitia apprime cognoverat, quos etiam graviter satis[2] increpat his verbis :

1. Danos aliquanto acerbius judicat Adamus, inquit Murray, *Commentatio*, I, p. 152.

2. Normannorum nomen ad omnes septentrionalium littorum piratas extendebatur apud Occidentis scriptores, qui hoc generali nomine omnes Scandinaviæ gentes complecti solebant. In historiis *Sagas* vulgo dictis et in Otheri relatione, Normannorum

« Gula et mulieres, quæ vitia naturalia sunt illis gentibus ». Normanniæ[2] seu Norvegiæ incolæ, ab Adamo distantiores et remoti, antiquorum Hyperboreis similiores haberi possunt.

« Normanni continentissimi sunt omnium mortalium, tam in cibis quam in moribus parcitatem modestiamque summopere diligentes. Præterea sacerdotum et ecclesiarum tantam habent venerationem, ut vix christianus habeatur qui non quotidie obtulerit ad missam quam audierit[1]. Apud illos tanta morum insignia sola sacerdotum corrumpuntur avaritia » (IV, 30).

« In multis Nordmanniæ locis pastores pecudum sunt nobilissimi homines, ritu patriarcharum et labore manuum viventes (IV, 31). Ritu Arabum armenta longe in desertis stabulant. Eoque victu peculii transigunt vitam, ut lacte pecudum in cibos, lana utantur in vestes. Indeque fortissimos educant milites, qui nulla frugum luxuria molliti, sæpius impugnant alios quam ipsi molestentur ab aliquo[2]. »

Duplicem ob rationem « sterilissimam omnium regionum » Norvegiam habet Adamus : « propter asperitatem montium, et propter frigus intemperatum » (IV, 30). Itaque rei familiaris inopia coacti, totum mundum circumeunt et piraticos raptus reportant domum, penuriam suæ regionis tali modo sustinentes.

In montium pascuis de pecorum fetu vivitur, si autem longius ad septentrionem pergas, ubi desunt pecora, de cetibus et de venatione. Pagani enim Normanni[3], qui trans arctoam plagam cir-

nomine soli Norvegiæ populi designantur. Utrumque sensum novit Adamus, ut patet ex locis, IV, 12 et IV, 30. Cf. Steenstrup, *Études préliminaires sur les Normands*, p. 33, et Depping, *Expéditions maritimes des Normands*, pièces justificatives, p. 482.

1. Eo quod decimas in regionibus Aquilonis non percipiebant sacerdotes, omnia venumdabant. Adalbertus archiepiscopus utrumque damnat, nimirum « quod episcopi benedictionem vendunt, et quod populi decimas dare nolunt. » (Ad., III, 70). De his cf. K. Maurer, *Island*, p. 84 sqq.

2. De pastorali vita apud Scandinavios, v. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 36 et 60.

3. In schol. 140 referuntur ritus sepulturæ paganorum Norvegiæ « qui cum homine tumulant quæ ipse vivens habuit cariora ; quod etiam de Indis habetur scriptum ». Tumuli paganæ ætatis revera Vikingos continent in navibus recumbentes, aut cum armis et equis ornatis inhumatos (Worsaae, *Mém. Soc. Antiq. Nord*, 1878-83, p. 121). Quod ad mentionem *more Indorum* spectat, hic verisimiliter ad traditiones alludit noster, juxta quas Indiæ quidam incolæ navibus in Germaniam delati fuerint (Pompon Mel., III, 5 ; Plin., *Hist. Nat.*, II, 67). Martiani Capellæ locus (VI, 721) obscuritate

ca Oceanum remoti sunt, magicis artibus sive incantationibus dediti, potenti murmure verborum grandia cete maris in littora trahunt. In asperrimis quæ ibi sunt alpibus audivit Adamus mulieres esse barbatas, viros autem silvicolas raro se præbere videndos. « Qui ferarum pellibus utuntur pro vestibus, et fremdere magis quam verba proferre dicuntur. In eisdem montanis agrestium ferarum tanta est multitudo, ut plurima pars regionis ex solis vivant silvaticis » (IV, 31).

Et jam, quæ sint fera illa animalia, e quibus plurima pars regionis vivant, memorat Adamus, alia Norvegiæ propria, ceterarum regionum alia : « Ibi capiuntur uri, bubali et elaces, sicut in Sueonia; ceterum bisontes capiuntur in Sclavonia et Ruzzia; sola vero Normannia vulpes habet nigros et lepores, martures albos ejusdemque coloris ursos, qui sub aqua vivunt quemadmodum et uri » (IV, 31). Ubi Adamus Solinum de Germaniæ feris disserentem (cap. xx), non stricte tamen, secutus est[1].

Intuitu igitur rerum sagacissimo pastoralem vitam eamdem perpetuo manere mente concepit noster. Eamdem enim fere ac Norvegii vitam Arabes et Hebræi patriarchæ agebant, quamvis alia in regione aliaque gente orti. Cujus vitæ generis simplicitatem dignitatemque laudibus extollit, quippe quod omnes vivendi conditiones exæquet. Attamen Norvegiæ populi, præter pecudum curam, piraticam navigationem exercent, ob soli sterilitatem, ut animadvertit Adamus, necessitate quadam coacti. In extrema tandem septentrionali regione, venatione aluntur. Perspicue ergo discriminavit Adamus tria vivendi agendique genera, eorumque cum terra convenientiam.

---

valde laborat. Quæ nihil aliud afferunt, præter formæ novitatem, nisi fictam Baltici maris cum meridionalibus maribus communicationem. (Cf. Schiern, *Une énigme ethnographique de l'antiquité*, *Mém. Soc. Antiq. Nord*, 1878-83, p. 245, et V. de Saint-Martin, p. 176-177).

1. Maçoudi vulpem nigram designat inter pelles quas ab Aquilonis populis emptitant Arabi. Quæ eadem est ac *Canis vulpes argentatus*. De quo vide Jacob, *Welche Handelsartikel bezogen die Araber ans den nordisch-baltischen Ländern*, p. 24-25. Apud Adamum, ut putat Jacob, post : *Ibi capiuntur*, *ursi* pro *uri* emendandum. Uros et ursos inconsiderate auctorem nostrum permiscuisse manifestum est. Ursi albi in multis Aquilonis tabulis, præsertim apud Dulcertum, Olaum Magnum, etc., depinguntur. De pellium commercio, cf. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 106 et locos ex *Sagas* ab eo relatos.

Sueones autem, si Adamo credamus, magis adhuc cum Hyperboreis congruunt : « Omnia enim instrumenta vanæ gloriæ, hoc est aurum, argentum, sonipedes regios, pelles castorum vel marturum... pro nihilo ducunt. In sola mulierum copula modum nesciunt. Hospitalitate quamvis omnes Yperborei sint insignes, præcipui sunt nostri Sueones... (IV, 21). Populi Sueonum multi sunt, viribus et armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores » (IV, 22). Quod deinde narrat Adamus de politica eorum societate, et imprimis de regia potestate populi juribus attemperata, cum Taciti de Germaniæ populis narrationibus satis convenit[1]. Plurima insuper (IV, 26 et 27; schol. 134, 135, 137) de Sueonum religione tradit, et de celeberrimo Upsalæ templo quod in planitie montibus circumdata situm est, et in quo tria numina, Thor, Wotan et Fricco coluntur; huc nono quoque anno conveniunt populi, ibique humana fiunt sacrificia : quæ omnia plane confirmant quæ ex *Sagas* et ex aliis fontibus de veterum Germanorum religione accepimus[2].

Suediam cum Norvegia, quod ad fertilitatem spectat, ut alibi propemodum Danicas insulas cum Jutlandia, confert noster. Quamvis montibus constet (III, 14; IV, 21) « fertilissima regio est Sueonia; ager frugibus et melle[3] opimus, extra quod pecorum fetu omnibus antefertur; opportunitas fluminum sylvarumque maxima, ubique peregrinis mercibus omnis regio plena ». Et hoc quidem vere recteque notavit Adamus, quamvis nonnulla, utramque regionem dum conferet, omiserit.

Septentrioni viciniores Scritefingi (Ad., IV, 24 et 31; schol. 132)

1. De temperata tempore pacis regia potestate et de disciplina tempore belli, cf. Saxo, V, p. 190. Steenstrup, p. 147.

2. Grimm, *Deustche Mythologie*, I, p. 160 et 190. Du Chaillu, *The Viking Age*, I, p. 358. « Francs, Frisons, Saxons, Danois, Norvégiens, Islandais, inquit doctissimus vir *H. Taine*, sont un même peuple. La langue, les lois, la religion, la poésie diffèrent à peine. Ceux qui sont plus au nord restent plus tardivement dans les mœurs primitives. La Germanie aux IVe et Ve siècles, le Danemark et la Norvège aux VIIe et VIIIe, l'Islande aux Xe et XIe siècles, offrent le même état, et les documents de chaque pays peuvent combler les lacunes qu'il y a dans l'histoire des autres. » (*Littérature anglaise*, I, p. 10). Quod quidem merito asseritur, licet in paucis temperamento indigeat.

3. Quod non parvi faciendum, cum potus ex melle conficeretur (Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 89).

montes incolunt ubi nix perpetua durat; qui tamen gelu recocti, tecta domorum non curant. Qui etiam feras prævolant suo cursu per altissimas nives, quarum carne pro cibo et pellibus pro indumento fruuntur. Juxta Saxonem etiam, Skrikfinni *inusitatis vehiculis* utentes, inaccessas regiones venando lustrant; quod evidenter ad hodiernos Lapones pertinet, eorumque calceamenta, quæ gallice *patins* dicimus, designat[1].

Alium etiam populum, Suein teste[2], describit noster, omisso quidem ejus nomine, sed, ut videtur, Finnici generis, cujus Saxo[3] errabundam et totam in venatione vivendi rationem fusius narrat. Quovis anno e montanis subito descendunt[4] in planitiem. Quibus nisi totis resistatur viribus, omnem depopulantur regionem et denuo recedunt. Homines (IV, 25) modicæ staturæ, viribus tamen et agilitate Suedis præstant; unde veniant incertum est[5].

Adamus[6] plures adhuc novit insulas in sinu Baltico remotiores et Sueonum ditioni subjacentes (IV, 16). Quarum maxima Churland dicitur, « iter habet octo dierum ». Inter alias majores (IV, 17) numeratur Æstland, non insulæ Kurland inferior. Ambo

1. Saxo, *Præf.*, ed. Müller, I, p. 18; II, p. 33 sqq. Adamus Paulum Diaconum (*Hist. Long.* I, 5) secutus est, qui primus Scritefinnorum nomen per germanicam vocem *Schreitfinnen* explicavit (Cf. Peschel, p. 88, note 1). Proverbii loco dicere solebant: Die Sonne scheint, der Schnee fällt, der Finne schreitet » (Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 307). « Currendi per nives ita scientes erant, ut eos evadere nec homines possent, nec alia animalia. » (*Heimskringla*, I, p. 111). Recentiores viatores de Laponibus quædam referunt, a dictis Adami non multum discrepantia (Von Düben, in Lanier, *Lectures géographiques*, *Europe*, I, p. 301). Vox *Ski* etiamnum longas soleas ligneas designat in Scandinaviæ regionibus usitatas.

2. Nonnulla etiam de Finnis ex Adalvardo Skaræ episcopo et ex Adalberto accipere potuerat (Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, II, p. 58).

3. V, p. 243.

4. Hic de *Finnferd* agitur. Cum quotannis Finni tributum pellium solvere deberent, Norvegii quavis hieme, stipati armatorum manu haud exigua, ut Finnis metum, sibi auctoritatem augerent, tributa colligebant et mercaturam faciebant (*Heimskring.*, II, p. 330).

5. « Sunt Lapones staturæ modicæ... Domos non habent, mansionesque sæpe transferunt » (Ziegler, *Schondia*, p. 8).

6. Adamus, juxta Giesebrecht (*Nordlandskunde*, p. 183), Gothiam et Sueoniam insulas reputat. Nullibi autem noster Scandinaviam insulam aut peninsulam esse distinctius asseruit. Wulfstano notus erat isthmus inter Oceanum et Bothniæ sinum, quem serius Saxo clare descripsit (Præf., p. 18). Adamus autem hæc omnia incerta reliquit, nec aliquid omnino præfinitum habuit.

a crudelissimis paganis incoluntur. Æstland autem terræ Feminarum proxima est, cum Kurland non longe sit a Birca Sueonum. Adamus Livoniam præterit, de qua mentio fit apud Arnoldum (V, 30).

Exinde[1] Scythiæ descriptio apud Adamum aliam induit speciem. Etenim usque ad Ubsolam, Scritefinnos, Trondemnem, Panimque, extrema ab Hammaburgensibus christianam fidem prædicantibus lustrata, satis accuratas geographus notiones habuit; omnes christianas regiones, nempe Slavaniam ad sinistram Panis fluvii ripam, Daniam, Norvegiam Suediamque usque ad Trondemnem, bene perspectas habuit, easque in Scythiæ descriptione quasi in proscenio collocavit. Ultra etiam progrediendo, nonnulla adhuc de paganis regionibus tradidit, quæ, licet minus lucida sint, aliquid tamen nos docent de Slavania a flumine Pani usque ad Ruzziam, et de Baltici maris juxta Danos navigatores longitudine. Ulterius vero patet Scythia, inter Ostrogard et Ubsolam. Quæ etiam remotiora loca, tabula velut in depicta, quasi nebulæ caligine velata Adamo visa sunt.

Ad orientem Suediæ Norvegiæque, Riphæis in montibus, in tractu quod revera sinu Bothniæ Finlandiaque peninsula occupatur, noster omnes scriptorum antiquorum aut sui ævi fabulas collocavit.

Hæc omnia, utpote propinquioribus nimisque notis regionibus non amplius jam tribuenda, scriptor noster, Martiani Solinique iterum auctoritate fretus, ad longinquiora loca transferenda esse censuit. Unum autem Adami proprium est : quemadmodum et rebus narratione notis semper quædam e scriptoribus antiquis sumpta admiscere solet, ita veteres fabulas referens non dubitat asserere earum veritatem coætaneis suis exploratam fuisse ac comprobatam. Mirabilia hæc fuerunt « sæpe a navigatoribus inspecta »; et Amazonarum fabulam ipsi contestati sunt Adalvardus (schol. 119) et Adalbertus (III, 15). Unde hoc tantum proficimus

1. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 188-190, et *Baltische Studien*, VI, p. 200.

quod auctorum illius ætatis de fabulosis populis nobis conspicua fiat sententia[1].

Unam ex his fabulis libentius Adamus exposuit, Amazonarum videlicet (IV, 19 et III, 15), quæ ad littora Baltici maris « terram feminarum » incolunt. Sunt et alii populi, ut Alani, sive Albani, Anthropophagi (IV, 19), Cyclopes (IV, 25), Mirri, Lami, Scuti et Turci (IV, 14), quos fere omnes[2] a Martiano Solinoque mutuatus est Adamus. Ad hoc attendas, scilicet nonnullas ex his fabulis apud auctores illos ad Scythiæ descriptionem non pertinere, sed a nostro passim colligi et in Riphæis jugis una ad operis sui ornamentum collocari. An præter mirabilium rerum amorem quadam alia vel tenui ratione impulsus sit, ut has præ aliis fabulas eligeret, inquirere supersedimus, nec multum referre judicavimus. Plerumque quadam nominis consonantia deceptus est. Doctus autem Murray, de auctore locutus qui in his investigandis multum insudaverat, sapienter ait : « Hunc Œdipum assequi diffidimus[3]. »

In tria igitur capita populi ab Adamo descripti distribui possunt, nempe : 1° populi viciniores, ut Saxones, Dani, Slavi ad Albiam, de quibus pauca refert, eaque a seipso conspecta; 2° populi remotiores, sed plane adhuc cogniti, ut Pruzzi, Norvegi, Suedi, de quibus verissima tradit ac mendacii expertia : nihil aliud adjiciens præ-

1. « Les fables ethnographiques, inquit eruditus vir L. Gallois, forment une géographie populaire, qui est à la vraie géographie ce que l'épopée est à l'histoire. Elles contiennent un fond de vérité et une grande part de légende. » (*Les géographes allemands de la Renaissance*, p. 146.)

2. L. Giesebrecht, *Nordlanskunde*, p. 188-191. Weinhold, *Die Polargegenden Europas nach den Vorstellungen des Mittelalters* (*Sitzunsber. der Akad. d. Wissensch. in Wien*, t. 68, p. 785).

3. De quibus inter recentiores populos fabulæ narrentur si exquiras, speciosæ tantum causæ fingi possent. Quomodo enim explanaveris eadem prorsus de dissitis maxime populis scribi, fabulasque ita migrare et quasi sedem mutare, ut nonnullæ ab Adam relatæ apud Marcum Paulum inveniantur?

Terra Feminarum regioni *Qvenland* respondet. Nordici geographi *Kwenos* et Finnos *Feminas* esse crediderunt, eosque Amazonibus assimilare non dubitaverunt (veteri nordica lingua, quænir = femme). De *Finlandia* agitur (Peschel-Rüge, p. 90, note 1. Forster, gallica translatio, 1788, I, p. 90. Possart, *Zeitschr. f. vergl. Erdk.*, I, p. 1. Weinhold, *loc. cit.*). Magdalandia (*Mädchenland*) etiam apud Alfredum reperitur (Dahlmann, *Forschungen*, I, p. 420). Jam in Taciti libro de Germania (cap. 45) videmus juxta Sueones populum a feminis gubernatum.

Wizzi, Mirri, Lami, Scuti et Turci deformata nomina esse videntur Finnorum populorum qui ad ripam orientalem Baltici sinus degebant. (Müllenhof, *Deutsche Alterthumskunde*, II, p. 71).

ter quædam ab Hyperboreorum descriptione desumpta, scilicet divitiarum contemptum et vitam pastoralem; 3° commenticii et ficti populi, de quibus nihil prorsus discere potuit.

In his regionibus Adamo incognitis, ea, si quæ sit, communicatio ponitur inter Balticum sinum Pontumque Euxinum : quæ utrum maritima an fluviatilis sit haud clare apparet. Ad hæc etiam littora desinit ejus scientia. Ac valde deplorandum est scriptorem nostrum non potuisse ab antiquorum fabulis abstinere, nec normam sibi præstitutam ad imum servare, scilicet : « Sufficit hoc scire, inquit, ne, si plura dicimus, mentiri velle dicamur. Melius enim est, ut ait beatus Hieronymus, vera dicere rustice, quam falsa diserte proferre » (I, 63).

CAPUT III

DE INSULIS OCEANI.

In Oceano caliganti sitæ sunt terræ quas Adamus « insulas Oceani » nuncupat, scilicet Thule, Gronland, Halagland et Vinland. Quæ fabulis non omnino carent; attamen observatione dignum est, cum de regione sinus Bothniæ pauca eaque vana memoraverit noster, eum de Oceano et Gronlandia minus dubia retulisse. Quod facile explanatur : hic enim christianas regiones invenimus ad Bremensem diœcesim pertinentes, de quibus Adamus percontari haud difficulter potuerat. Non multa quidem, verum pleraque fabularum expertia nobis tradidit.

De Britannia quædam obiter attigit, in libro II, de regis Chnut imperio scribens bellisque ab eo susceptis, qui per multos annos Britanniam Daniamque possedit (II, 50, 51, 53, 55, 59). Schol. 20 quædam præbet de situ insulæ Britanniæ ex *Historia Ecclesiastica* Bedæ desumpta, quæ illius scriptoris, non Adami, præsertim quod ad Hiberniam spectat, notiones sententiasque nobis afferunt.

« Post Nortmanniam, ait Adamus (IV, 34), quæ est ultima aquilonis provintia, nihil invenies habitationis humanæ nisi terribilem visu et infinitum Oceanum. Is habet *ex adverso Nortmanniæ* insulas multas non ignobiles.... quarum primæ sunt Orchades insulæ, quas barbari vocant Organas; ritu Cicladum illæ sunt dispersæ per Oceanum. De quibus Romani auctores Martianus et Solinus ita scripsisse videntur : « A tergo Britanniæ, unde infinitus patet Oceanus, Orchadæ sunt insulæ, pæne XL junctæ. Item vicinæ sunt Electrides, in quibus electrum gignitur[1]. » « Orchades, addit noster, inter

1. Solini locus (p. 234), de Orchadibus insulis, juxta Mommsen (p. XLVII et LXIV) ab hibernis monachis post eorum navigationes fuit interpolatus. (Cf. Zimmer, *Ueber die frühesten Berührungen der Iren mit den Nordgermanen*, in *Sitzber. der. k. preuss. Akad. d. Wissensch.*, 1891 (excerpta in *Peterm. L. B.*, 1894, nº 46).

Nordmanniam et Britanniam et Hiberniam positæ, frementis Oceani ludibundæ minas derident. Ad quas a civitate Nordmannorum Trondemni per diem ferunt navigari posse. Itemque ab Orchadibus, aiunt, simile spatium viæ, sive in Angliam dirigas, sive in *Scotiam* flectere velis. » Eas igitur inter Scotiam et Norvegiam sitas esse putat, et circuli formam (ritu Cycladum) præbere. In hoc a Martiano Solinoque differt, quod cuncta isti ad Britanniam, ipse vero ad Norvegiam referat, ita ut Orchadas non a tergo Britanniæ, sed contra Norvegiam ponat[1].

Hiberniam ad septentrionalem Britanniæ partem collocat (IV, 10, 34), eamque « Scotorum patriam, quæ nunc Irland dicitur », appellat. Quæ terra videtur Adamo septentrionem versus ad Orchadas spectare ; etenim postquam Orchadas insulas Oceanus occidentalis præterlapsus est, « orbem terræ spatiis ambit, sinistrorsum habens Hyberniam, dextrorsum vero scopulos Nordmanniæ[2] ». Hiberniam ergo, juxta morem scriptorum medii ævi, in primis Alcuini, Alfredi Magni, Bedæ, Einhardi, cum Scotia confundit, quod etiam in Otheri periplo (cap. VIII) videre est[3]. Qui error ex eo nasci potuit, quod Scotia longissimis fretis (*fiords*) cingitur, ita ut insula habita fuerit. Saxo autem, accuratius locutus, Scotiam a Britannia non mari, sed saltu dirimit, Hibernorum nomen populis Irlandiæ tribuit, eorumque civitatem *Dufflinam* nominat[4].

A ceteris secreta longe in medio Oceano sita est insula Thyle, terrarum ultima : « De qua tam a romanis scriptoribus quam a barbaris multa referuntur digna prædicari », quæ iterum refert Adamus. « Hæc itaque Thyle, inquit, nunc Island appellatur[5], a glacie quæ Oceanum astringit. » Utrum revera Thule eadem sit ac

1. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 193.
2. Dahlmann, *Forschungen*, I, p. 447.
3. Peschel, p. 82, note 1. Marinelli, *La Geografia e i Padri della Chiesa*, p. 12. Hamy, *Origines de la cartographie de l'Europe septentrionale*, p. 375.
4. V, p. 254, VI, p. 280; X, p. 459-492.
5. Islandia, VIII° seculo ab Hibernis cognita, a quodam Normanno nomine Naddod rursus reperta est; qui eam *Snæ-Land* appellavit. *Floki* autem eam *Islandiam* nuncupavit. Cujus Ingolf et Leif primi fuerunt coloni. IX° seculo desinente hominum referta est. Cf. *Landnamabok*, I, 1. *Heimskr.*, I, p. 96. V. etiam Geffroy, *Mém. présent. à l'Acad. des Inscript.*, 1re série, t. VI, p. 327 sqq.

Islandia, de hoc nobis post tot et tantos scriptores disputare minime in animo est; satis sit notare Adamum inter priores hujus opinionis auctores annumerandum esse[1]. In Islandia quidem, ubi Adami scripta haud diu ignota fuerunt, hæc sententia brevi convaluit. *Are*, Adami fere coævus, eum non citat[2]; sed liber *Landnamabok* hanc opinionem hominibus doctis tribuit, iisdem Bedæ verbis innixus atque Adamus[3].

Juxta schol. 148, « egredientibus a promuntorio Danorum Alaburg narrant iter esse triginta dierum usque in Island, minus autem si ventum habeant secundum ». Pytheas, ab Adamo laudatus, sex dierum navigatione Thulen in septentrionem a Britannia distantem refert. Juxta schol. 147, forsan Pytheæ errore correcto, a Britannia *novem* dierum navigatione pervenitur ad Thilen, de qua unius diei navigatio est ad mare congelatum. Civitas insulæ maxima Scaldholz[4].

De Islandia scribit Adamus « nullas ibi fruges, minimam lignorum copiam » esse (IV, 35)[5]. Qui Thule insulam inhabitant, vitam pastoralem, ut Sueones, exercent : « Solo pecorum fetu vivunt eorumque vellere teguntur; in subterraneis habitant speluncis, communi tecto et strato gaudentes cum pecoribus suis. Itaque in simplicitate sanctam vitam peragentes, montes suos habent pro oppidis et fontes pro deliciis[6]. Beata gens, cujus pauper-

1. Beda (*De temporum ratione*, cap. 31) Thule et Islandiam eamdem insulam esse non expresse dixit. Forsan Dicuil (*De mensura orbis terræ*, cap. 7) et Adamus uterque seorsum Islandiam apud Bedæ locum citatum agnoscere sibi visi sunt.

2. *Ares Isländerbuch*, herausg. von W. Gother, Halle, 1892. Cf. Möbius (Th.), *Ares Isländerbuch*, mit deutscher Uebersetzung, Leipzig, 1869. Ari Polyhistor. *Schedæ seu Libellus de Islandia*, *Islendiga-Bok dictus*, in latinam linguam versus, Havniæ, 1733, in-4°.

3. *Islands Landnamabok*, seu *liber originum Islandiæ*, versione latina; ex manuscriptis legati Magneani, Havniæ, 1774, in-4°. Cf. *Islendinga Sögur*, p. p. *Soc. Antiq. du Nord*. 1843.

4. Quod nomen etiamnum in pago *Skalholt* servatur, non longe a littore in Africum. Cf. Spruner, tabula 63.

5. Adami locus eorum opinioni refragari videtur, qui Islandiam Normannorum ætate proceris arboribus consitam fuisse prædicant. Nonnullæ tamen silvæ (betularum sane) in *Sagas* memorantur (*Landnamab.*, I, 1; V, 5. Cf. Are Frode, cap. 2). Islandiæ vero conditio ab historicis temporibus parum mutata est. Cf. Weinhold, *Altnordisches Leben*, p. 81. K. Maurer, *Island*, p. 8, 392, 425.

6. Tylenses continentissimi dicuntur a Saxone Grammatico (Præf., p. 7). Cf. Ziegler, *Schondia*, p. 8.

tati nemo invidet.... Inter illos omnia communia sunt tam advenis quam indigenis.... Episcopum suum habent pro rege; ad illius nutum respicit omnis populus[1]. »

« Sunt autem plures aliæ in Oceano insulæ, inquit Adamus, quarum non minima est Gronland[2] (IV, 36), profundius in Oceano sita contra montes Suediæ vel Riphæa juga. Ad quam insulam, quemadmodum et ad Islandiam, ferunt a littore Normannorum vela pandi quinque aut septem diebus. » Cum Islandia ad septentrionem Britanniæ (IV, 35), Britannia vero ad occidentem Normanniæ (IV, 10) jaceat, Gronlandia, quæ contra Normanniam sita est, *ad orientem* Islandiæ ab Adamo collocatur[3].

Gronlandiæ populi (IV, 36) « homines sunt a salo cærulei; unde et regio illa nomen accepit. » Nihil aliud hic sibi voluit noster quam vocis *Groenland* (*terra virida*) etymologiam dare. Verius res in *Sagas* explicatur, juxta quas Ericus regionem illam ita vocavit ut plures nominis ejus illecebris allicerentur[4]. Minime ergo exinde concludi potest immutationem quamdam cœli et agrorum recentioribus sæculis esse factam.

1. Episcopum serius Islandiæ præfuisse putat K. Maurer (*Island*, p. 84), scilicet sub episcopo Gizzurr (1082-1118), Isleifi, Adami coævi, filio et successore.

2. Islandicarum *Sagas* fragmenta quæ ad Scandinaviorum explorationes pertinent collegit et interpretatus est Rafn, *Antiquitates Americanæ*, Copenhague, 1837, gr. in-4°. Id., *Antiquités américaines*, Copenhague, 1845, gr. in-4°. Id., *Grönlands historiske Mindesmærker*, 3 vol., Copenhague, 1838-45. E. Beauvois gallicam translationem edidit in *Revue Orientale et Américaine*, 1859, n° 3. Du Chaillu, *Vikings*, t. II, p. 520, eadem collegit.

3. Giesebrecht, *Nordlandskunde*, p. 197. Hunc locum etiam adhuc Gronlandiæ tribuunt XVI et XVII seculi tabulæ geographicæ (Nordenskiöld, *Fac-Simile Atlas*).

4. Are Frode, cap. 6. Normanni astutia non modo coævos, sed etiam posteros delusit : ideo plures sunt qui in vocis *Groenland* etymo investigando laboraverunt. Quidam animadverterunt majorem in eo plantarum, nempe graminearum et cyperacearum, copiam inveniri, quam in ceteris arcticis regionibus (Rabot, *Revue scientif.*, 1888, p. 650. E. Reclus, *Amérique boréale*, p. 125). Juxta alios, mare circa Gronlandiam, ob infinitum diatomearum numerum, cæruleum colorem præbet (Reclus, p. 127); unde Adami locus : *sunt a salo cærulei*. An vero regionis illius cœlum inclementius factum sit, id ex sola voce *Groenland* indici non potest, cum aliter explanetur (*Flateyjarbok*, t. I, p. 429. Du Chaillu, *Vikings*, t. II, p. 519), neque ex falso assertis Normannorum in orientali Groenlandiæ littore sedibus, quod, ut et nunc, nullum locum habitationi humanæ aptum offerebat. Juxta doctum virum Brückner (*Klimaschwankungen*, in *Penck's Geogr. Abhandl.*, IV, 2, p. 29), qui allatos hac de re locos sagaciter indagavit, nullo modo probari potest *isothermas* in septentrionali Atlantici Oceani parte lineas ad meridiem exinde flexisse.

Tertia est insula Halagland (IV, 37), Normanniæ vicinior, magnitudine ceteris non impar, quam, juxta schol. 152, « alii dicunt esse partem Nortmanniæ postremam, Scritefingis proximam, asperitate montium et frigoris inaccessibilem. » Etenim Halaglandia, quæ Adamo, sicut et Esthlandia Churlandiaque, insula esse videtur, nihil aliud est nisi pars Norvegiæ septentrionalis ultra circulum polarem. Ibi, juxta narrationes *Sagas* dictas, est Halogaland, contra Finmark ad meridiem; quæ regio, juxta eadem documenta, littore terrestri insulisque constat. Insulæ tamen præcipuam partem constituunt, et conventus regionis seu *Thingstaag* in insula *Vagir* (hodie Vaagen) sedem habet [1].

Præterea unius adhuc insulæ apud Adamum mentio fit (IV, 38 et schol. 37). « Winland dicitur eo quod ibi vites sponte nascantur, vinum optimum ferentes. Fruges ibi non seminatæ abundant, quod non fabulosæ opinioni referendum est » : id enim « certa Danorum relatione » didicit noster. Ceterum rex Suein ipsi recitavit « Vinland insulam a multis in eo repertam Oceano ».

Cujus insulæ nec situm nec ad alias regiones distantiam statuit Adamus. At certissime de terra *Winland* apud *Sagas* memorata agitur, id est de America [2]. *Sagas* autem Adamo non multa addunt, nisi quod dicunt Winland magis ad meridiem esse quam Islandiam et Gronlandiam [3].

« Post eam insulam terra non invenitur habitabilis, sed omnia plena glacie intolerabili (IV, 38). Haraldus, Normannorum princeps experientissimus, hæc maria tentavit, et latitudinem septentrionalis Oceani perscrutatus navibus, tandem caligantibus ante

1. *Heimskr.*, I, p. 112; II, p. 241; IV, p. 133.
2. Peschel, p. 84 sqq.
3. V. Rafn, Beauvois, du Chaillu, opera citata. Fragmenta geographica ex *Saga Erici Raudæ*, luce impressa, cum anglica translatione, evulgata sunt juxta codicem Flateyensem (*Flatö-Bögen* seu *Flateyjarbok)*, Hafniæ, 1893. Hos fontes investiganti liquet quinque Normannorum peregrinationes ad Vinlandiam nobis narrari. Quarum duo tantum, scilicet *Leifi* et *Thorfinni Karlsevni*, veræ videntur, ceteræ autem fictæ (S. Rüge, *Hamburgische Festschrift zur Erinnerung an die Entdeckung Amerikas*, Hamburg, 1892). Regionis a Leif anno 1000 inventæ memoria in aquilonis regnis usque ad xv^{um} seculum duravit. In ceteris autem Europæ terris, si Bremam excipias, nemini hæc innotuerunt. (Cf. Kohl, *Spuren einer alten Schiffahrts und Handelsverbindung, Bremen's mit dem Norden Europa's und Amerika*, *Brem. Jahrb.* IV, p. 436-475).

ora deficientis mundi finibus, immane abyssi barathrum retroactis vestigiis pene vix salvus evasit. »

Miratur Gelcich[1] cur Adamus dixerit : « Post eam insulam terra non invenitur habitabilis », cum regiones magis atque magis temperato cœlo invenire necesse sit, terram *Vinland* versus. Quod Adamo non probabatur, qui, licet vinearum ac frumenti mentionem fecerit, verum hujus terræ situm ignorabat, eamque in insulis caligantis Oceani ponebat, ad extremum septentrionem, ut Islandiam et Gronlandiam.

Ubinam fuerit hæc terra *Vinland*, plurimæ inter eruditos ortæ sunt controversiæ; quamvis plenam lucem non afferant, nobis tamen doctissimi *Storm*[2] elucubrationes litem quasi dirimere videntur.

Hæc regionis Vinland mentio apud Adamum omnium antiquissima est, et, licet brevissima, maximi est momenti. Traditiones quidem recentis adhuc memoriæ et adulterationis expertes refert, utpote ad navigationes paulo antea peractas spectantes. Islandica vero testimonia directa aut indirecta via a scriptore *Are Frode*[3] derivantur, qui circa annum 1135 scripsit. Quæ addunt, fabulis admixta sunt. Denique, ut ait *Storm*, fieri non potest ut astronomicis hujusmodi argumentis, qualis est obscura ea codicis *Flateyarbok* assertio quæ ad dierum durationem spectat[4], Vinlandiæ situs definiatur. Quem melius assequi possumus per vegetabilium mentionem quam nobis tradidit Adamus, ac potissimum quis sit vitis silvestris in America septentrionali limes inquirendo.

Storm autem[5] testimonia XVI[i] seculi collegit, ac præsertim quæ Jacobus *Cartier* de Bacchi insula prope *Quebec* tradidit (47° lat.), et exinde concludit Vinland terram in *Nova Scotia* aut ad fluminis *Sancti Laurentii* ostium quærendam esse, præter quod *Vitis Cor-*

1. Gelcich, *Ueber die Materialen zur vorcolumbischen Gesch. Amerikas* (in *Zeitschr. d. Gesellsch. f. Erdk.*, Berlin, 1890, p. 104).
2. Gustav Storm, *Studies on the Vineland Voyages* (*Mém. Soc. Antiq. du Nord*, 1888, p. 307). Id., *Columbus pa Island og vore forfaedres opdagelser i det nordvestlige Atlanterhav* (Christiania, 1893).
3. *Ares Isländerbuch*, herausg. von W. Gotther, cap. VI, p. 11.
4. De *eykar* et *dagmala*, cf. Rafn, *Antiquitates Americanæ*, fol. 436. Beauvois, *Revue Or. et Amér.*, p. 15.
5. Storm, *Vineland Voyages*, p. 349.

difolia non amplius invenitur; non autem in regionibus magis ad austrum vergentibus, ut contendunt alii. Fruges vero « non seminatæ » non de *Zea Maïs* intelligendæ sunt, quæ 44um gradum ad septentrionem non prætergreditur, sed de *Zizania aquatica*, aut de *Hydropyro esculento*, quod usque ad 50um gradum ad fluviorum ripam sponte crescit.

Quidquid sit, quædam nobis fere probata videntur, nimirum Normannos inter 40um et 48um latitudinis gradum Americam appulisse; Oceanus in regionibus Aquilonis arctatus, terræque interjectæ, navigatoribus itineris insciis inventionem Americæ quasi ineluctabilem faciebant. Attamen colonias ibi conditas, aut commercia constanter inter Vinlandiam et Islandiam intercessisse omnino rejiciendum est. Fortuitæ tantum peregrinationes huc factæ sunt, ob difficultatem navium regendarum, indiciorumque inopiam; hoc tantum ferebat illius temporis scientia. Affirmat scriptor quidam promontorium *Code* certissimum nautis signum præbere; sed, ut ait *Gelcich*[1], promontorium his tantummodo signum præbet qui ejus positionem determinare valent. »

Hominum XI° sæculo degentium inscitia obstabat quominus e Normannorum peregrinationibus fructum caperent[2]. Solus inter scriptores Scandinaviæ extraneos Adamus Vinlandiam memorat, cui adjicere forsan possumus Ordericum Vitalem[3] et Albertum Magnum[4]. Vinlandiæ mentio apud Adamum nobis perspicua est, in medio ævo non item. Supervacuum videtur ostendere nihil e Normannorum peregrinationibus Christophoro Columbo profuisse; qui si Adami locum novisset, non ad occidentales terras, sed ad polum borealem hic viam monstrari potius credidisset[5].

1. Eugen Gelcich, *Zur Gesch. der Entdeckung Amerikas durch die Skandinavier* (*Zeitschr. d. Gesellsch. f. Erdk.*, Berlin, 1892, p. 153-221). Horsford (*The Landfall of Leif Erikson*, Boston, 1892; id., *Leif's House in Vineland*, Boston, 1893) asserit Normannorum habitationum vestigia a se reperta fuisse ad *Charles-River*, prope *Boston*, quod probatione omnino indiget.

2. Peschel, p. 87.

3. Orderic. Vit., *Hist. Eccles*, l. X: « Orcades insulæ et Vinlandia, Islanda quoque et Grönlanda, ultra quem ad septentrionem terra non invenitur. » Quinimo pro Vinlandia nonnulli, inconsulto quidem, *Finlanda* legendum esse putant.

4. *De nat. locor.*, XXVII, p. 6.

5. « Ce furent pour les Normands quelques terres de plus dans cette grande mer du Nord. Ils n'y attachèrent aucune idée particulière, ils n'en soupçonnèrent ni l'impor-

Alia quædam navigatio obscurior adhuc et mirabilior ab Adamo narratur (IV, 39). Illi « retulit pontifex Adalbertus in diebus antecessoris sui quosdam nobiles de Fresia viros causa pervagandi maris in boream vela tetendisse, eo quod ab incolis ejus populi dicitur ab ostio Wirrahæ fluminis directo cursu in aquilonem nullam terram occurrere præter infinitum Oceanum. Cujus rei novitate pervestiganda conjurati sodales a littore Fresonum leto celeumate progressi sunt. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, pervenerunt ad Orchadas. Quibus a læva dimissis, cum Normanniam in dextris haberent, longo trajectu glacialem Island collegerunt. A quo loco maria sulcantes, in ultimo septentrionis axem, postquam retro se omnes, de quibus supra dictum est, insulas viderunt, omnipotenti Deo et sancto confessori Willehado suam commendantes viam et audatiam, subito collapsi sunt in tenebrosam rigentis Oceani caliginem. » Qui quidem quot et quantis periculis fuerint obnoxii narrat Adamus (IV, 40), de quadam insula altissimis in circuitu scopulis ritu oppidi munita loquitur, et de hominibus quos ibi reperire est in antris subterraneis latitantibus[1]. Bremam reversi, postquam nonnullas naves amisissent, Fresones archiepiscopo Alebrando ordine cuncta narrant.

Hanc navigationem, *ad explorandum* certe institutam, quidam ambitioso verborum circuitu « primam Germanorum polarem expeditionem » dixerunt. Quem Adami locum eruditus *Kohl*[2] commentariis illustravit. Affirmat nemini dubium esse quin Adamus veri dignoscendi studiosus et in primis sagax fuerit. Insuper qui eum hac de re certiorem fecit, unus e doctissimis eadem ætate viris, non

tance ni la connexion, et la notion que le hasard avait amenée se perdit comme elle était venue, sans rien laisser après elle. Ce n'est pas là une découverte » (V. de Saint-Martin, p. 387). Quæ prudentissime et aptissime dicta nobis videntur.

1. Similem et Saxo (VIII, p. 420-426) historiam narrat de oppido gigantum *Gerutho*, sed multo uberius. Quæ germanicæ potius mythologiæ quam antiquitati tribuenda videntur. Cf. A. Fécamp, *Le poème de Gudrun*, p. 159-169 (le conte de la montagne de Givers).

2. Kohl, *Die erste deutsche von der Weser aus um das Jahr 1040 veranstaltete Entdeckungsreise zum Nordpol* (*Peterm. Mitteil.*, 1869, t. XV, et *Brem. Jahrb.*, V, p. 174-194. Humboldt, *Kritische Untersuchungen über die historische Entwickelung der Kenntnisse von d. neuen Welt*, 1852, I, p. 401.

potuit quidquam nisi verum affirmare. Hæc autem narratio, quantum ad rem geographicam attinet, rebus ipsis apte congruit; quæ vero fabulam sapiunt, ex illius temporis notionibus desumpta sunt. Qualem vero insulam navigantes appulerint, ubi gigantes invenerunt, incertum est. Juxta *Kohl*, ad aliquam ex insulis *Shetland*, juxta alios ad insulas *Faröer;* neutri sententiæ sua deest probabilitas. Utraque insula abruptis cingitur littoribus, ubi etiam speluncas æstu maris effossas reperire est. Opinatur *Peschel* Fresones ad orientalem Groenlandiæ oram appulisse. Cum vero his de rebus certum aliquid statuere non liceat, concludendum censemus Adami narrationem, quamvis fabulosa quædam referat, reipsa inconcussam veroque consonam plurimum perstare.

CONCLUDITUR ARGUMENTUM

Adamus, cum Bremæ, in loco colligendis indiciis ad rem geographicam pertinentibus opportunissimo versaretur, multum exinde quæstum fecit, ita ut vir acerrimi judicii atque eruditione ornatissimus ab omnibus jure habeatur. Quæ enim ex antiquis scriptoribus acceperat notionibus experientia acquisitis optime contexuit; quæ omnia in ejus opere inter se satis cohærent. Orbem terræ sphæræ figuram habere liquido asseruit; nec mirum quod in ætate naturæ scientiis parum addicta, de physica geographia haud accurate edoctus esse potuit. In describendis contra borealibus regionibus, mentem geographicæ scientiæ aptissimam ostendit. Fabulas quidem non paucas incertis aliquando verbis enarrat; illæ tamen operi parum nocent. Licet eruditionis et etymologiarum affectator esse videatur, nihil tamen hujusmodi in describendis Aquilonis regionibus animum ejus unice præoccupavit, si Baltici sinus configurationem excipias, de qua coætanorum testimonia haud recte interpretatus est. Denique Normannicarum investigationum in Gronlandia Vinlandiaque fama quædam, licet tenuis, per eum Europæ christianæ de narrationibus *Sagas* dictis insciæ innotuit.

Quid sibi invicem conferant quæ de historia aut de geographia noscere est, apprime sensit Adamus. Legenti enim nonnulla quæ ille de Dania, Suedia et Norvegia scripsit, facile in mentem venit quam dilucide plurima perspexerit. Qui quidem, licet interdum non ita severo forsan ordine, opus ad historicas simul et geographicas res pertinens exegit, neutiquam, ut plerique coævi, jejunarum annalium scriptor. Quod si quantum inter se distent plurima quæ memorat loca, haud sine legentium tædio nonnunquam disputat, ipsos imitatus quos sane consuluit portulanos, narranti e contra vitio verti-

tur nimia nonnunquam ubertas. Si vero attenderis quæ in ejus libro potissimum emineant; quam concinne de pastorum vita et moribus scripserit, quam prudenter, cum de præcipuis ætatis suæ gentibus dissereret, suam cuique notam tribuerit ; facile senties Adamum tam simplici venustate res narravisse, ut cum lepidissimo omnium priscæ ætatis de geographia simul ac historia scriptorum conferri quodammodo possit, et, mutatis mutandis, quasi seculi sui alter Herodotus fuisse videatur.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona
Kal. Aug. ann. MDCCCXCIV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX AUCTORUM OPERUMQUE

IN HOC OPUSCULO LAUDATORUM

Corbeil. Imprimerie Éd. Crété.